# PROLUSIO THEOLOGICA DE MORTE CHRISTI PRO REPROBIS. IUXTA MENTEM...

Jean Genesti

# PROLVSIO THEOLOGICA DE MORTE CHRISTI PRO REPROBIS.

*Iuxta mentem S. Augustini.*

Auctore P. IOANNE GENESTI COELESTINO.





PARISIIS.

Apud viduam N. BVON, via Iacobæa sub signo S. Claudij.

M. DC. XLVII.

*Cum Priuilegio & Approbatione.*

EMINENTISSIMO
PRINCIPI
CARDINALI
# IVLIO
MAZARINO.

ECCLESIÆ Tribunali, vbi præfulges inter Patres Purpuratos, vbi præcellis inter Principes Eminentissimos, sistit se cœlestis Gratia. Tuta quidem illa, nec de causæ bonitate sollicita; quia tamen ius, quo nititur, nonnulli student inflectere, quærit Cliens

*tanta Patrocinium, quo fulciatur. Omnium mentes & animos, ceu poſſeſsiones proprias, hucuſque tenuerat. Ibi regnare Diua potens cæli, Ibi fulgere Virgo Chriſti ſanguine purpurata. Ibi radios vibrare, quibus micat, Iaculari flammas, quibus ardet. Totum hoc, vt homines demereatur. Inde tamen maximam partem prohibetur; inde etiam depellitur, non vllius faſtidio vel offenſione, cùm nulli non ſit optatiſsima, ſed ſui amore ac deſiderio vexata, quo ſic eam aliqui depereunt, eius vt beneuolentiam aliis inuideant. Amatores in ſe ſuoſque nimij, in alios nimium parci; ideoque Principi omnium amantiſsimæ minùs gratioſi. Quippe cuius animus nemini non pateat. Quò plus capit, eò plus expanditur, nec vllum intra ſe premit, aut excludit à ſe, qui ſpatioſus omnibus eſt. Ita ſponſi ſe probat amantem ac æmulam, cuius & latus & pectus nouit*

*omnibus apertum, cor nulli inaccessum.*

*Hæc summa celeberrimæ litis est, cuius exitũ inde potissimum sperat, quò se largiter infudit. Quòd enim Eminentiæ vestræ ad omnia summa natæ primus ad publicas negotiationes aditus per continuam prosperitatum seriem gradum fecerit ad hunc rerum apicem, in quo sublimis emines vlteriùs breui progressurus, eiusdem est Gratiæ, quæ suum modo debitorem interpellat, prætentis benignè tabulis, quas facili, & docta manu resignes, sagaci illa mentis acie dispicias, innata iudicij soliditate perpendas, arbitrio tuo diiudices. Summos enim arbitros summæ lites postulant. Vnde sapienter illa virtutum Parens oculos in eum præcipue coniecit, cuius Ministerio, & sedulitate, vt lilia, sic & virtutes omnes hîc apud nos efflorescunt. Cuius cultu sunt mores frugiferi, Cuius auspiciis Prouinciæ nostræ ra-*

*ipſa magis fortunatæ ſunt, quàm illæ fingantur Inſulæ. Cuius in oculis vigilia curaque ſua fruentibus per hæc gratiarum viridaria quaſi Tempe ſaluberrima nunc inter areolas diuino ſatu illapſuque floridas, nunc ſub vmbra nemoris veriùs auriferi, quàm quod iactat Heſperia, in ætate verna, ac ſpecie non animorum minùs illice, quàm oculorum, ille Cælitum Amor, populorum Deliciæ, Eccleſiæ Corculum, Paternæ ſanctitatis Hæres, Maternæ Conſors, nouennis Poliorcetes incedit cum maieſtate annis maturior, & moderandis rerum habenis ac conciliandis vt Principum, ita Doctorum ingeniis iamjam habili. Hæc eadem ius ſuum eius fidei prudens lubénſque concredidit, quo rei tam ſacræ quàm ciuilis Antiſtite nihil aliud hodie palatium eſt, niſi Templum Pietatis, virtutis ex hac cauſa pendentis. Quo Moderatore in huius Imperij*

*corde ac corpore nihil magis ſpirare videmus, quam mirabilem omnium Ordinum inter ſe concordiam, idem in Academiis, te Proxeneta, poſthac experturi. Cuius beneficio ſua Gratiæ poſtmodo redibit hæreditas, quemadmodum ab alienis Dominus ad ſuum poſtliminio redeunt res noſtræ vi ac munere Conſilij tui, vi iuris à nobis ſtantis, vi Gallicæ Nobilitatis eas ipſas armorum tonitru reuocantis, & per fas omnimodum vicinos ſic vndique propellentis, vt procul à nobis recedant cum ipſis eorum confinia, noſtrorum, quæ ſiniſterius impetebant, augmento. Cuius demum auctoritate eiuſdem Gratiæ principatus, neſcius & impatiens anguſtiarum, quibus eum aliqui paulo rigidiores diuinæ liberalitatis æſtimatores circumſcribere conantur, in omnium animis ac monumentis dilatabitur, ſicut vnà cum Rege creſcit amplitudo Regni, te Auſpice,*

*Marte Ministro, Duce Themide tam æquilibri quàm armata; cui Regiæ virtuti frequentissimas lætæ multitudinis gratulationes procedenti latus tegunt militiæ domique hinc palmata victoria, hinc alma faustitas, vtrobique securitas & gloria. Diuinam ergo Gratiam vsque adeo Eminentiæ vestræ nobisque præsentem si memor ac gratus in ius suum asserueris, scipsa tibi copiosius in dies rependet. Hæc sunt vota publica, quorum successum optat in primis & exposcit.*

EMINENTIÆ VESTRÆ

Deditissimus,
F. I. GENESTI COELESTINVS.

# *LECTORI beneuolo.*

AN propter homines etiam perituros Deus Homo factus sit, lis est hodie tanta, tam diúque suspensa, cui componendæ tot capita, cui terminandæ tot sæcula necdum satis fuisse videantur. Palmarem quidem sententiam iam olim tulerat S. Augustinus: sed quia vulgariter capi se nolunt ingenia vulgo maiora, interprete opus fuit. Vnde si quid latebrarum habent diuini scriptoris oracula, totum hoc pridem nobis aperuit insignis Patrum delectus, quos summæ omnibus venerationi esse

notum est. Quo præiudicio res nobis ita cessit, vt iure auctoritatis ac præscriptionis annosissimæ, tanquam certum ad hanc vsque diem id teneremus, quod tamen his temporibus cœptum est in dubium reuocari.

Quemadmodum autem in huius ortu controuersiæ sapientes viros adire oportuit, quorum illa iudicio conquiesceret; ita modò, dum repullulat, idem iudicij tenor seruandus. Quia verò de mente Doctoris, qui vnus in hac causa instar omnium est, partes inuicem committuntur; sicut olim iudices optabantur, qui præter vitæ probitatem, præter ingenij doctrinæque prærogatiuam ac iudicij soliditatem, sancti Patris lectione potissimum & intelligentia præcellerent: Ita nunc non aliis, nisi eorum supparibus negotium

concredendum. Nec ita probandi, qui reducta ſenſibus humanis myſteria plebeculæ verniliter euulgant. Minùs autem laudandi, qui, in Iudicum optione, viros non modò prudentes ac doctos, ſed & quoſcunque renuunt, &, vt curioſiſſimæ mortalium parti blandiùs ac nimio plus gratificentur, ad ingenia linis ac ſericis, quàm argumentis, aut rationibus deducendis habiliora rei tantæ iudicium deferunt.

NIhil iuſtius, nihil gratius, nihil ſublimius comendatione diuinæ in nos Caritatis, Redemptionis, Gratiæ. Prima filios admonet pietatis erga patrem; quod eſt debiti noſtri. Altera liberatoris memoriam refricat; quod eſt animi grati. Poſtrema naturam à ſe ſupra ſe ad Deum, vſque & Mediatorem ſubleuat; quod eſt faſtigium, & apex
2. Cor. 10. Chriſtianiſmi: vt *qui glorıatur, in Domino glorietur.*

Non arctiùs inter ſe Charites, quàm hæc tria Dei in nos beneficia ſimul implicantur. Nam ex Patris benignitate Incarnatio filij; ex vtraque coniunctim & ad vtramque Gratia religatur. Ex quo factum, vt idem tenor, qui in rebus ipſis, eódemque ſeries in monumentis quoque Doctorum reperiatur. Quoties enim diſertè, & ad amuſſim ſalutis noſtræ negotium proſequuntur, in vnum ſemper hæc tria colligunt. An & quomodo velit Deus omnes homines ſaluos fieri. An propter omnes Chriſtus hæc ad nos deſcenderit. An auxilium

omnibus vterque ſufficiat, & largiatur, quò poſſint omnes eò pertingere, ad quod omnes facti ſunt.

In his tribus totus eſt Apoſtolus, totus inter ſcriptores Apoſtolicos S. Auguſtinus, quem hodiéque decora ingenia non ſegniùs, quàm hic D. Paulum ſectari ſe profitentur. Atque vtinam, quàm aſſeueranter aliqui fidem hanc verbo obligant, tam fideliter facto reque ipſa liberarent; neque ſub obtentu ſpecioſo diuinæ liberalitatis erga paucos amplificandæ, eam in aliorum præiuditium damnúmve coarctarent; aut ſub ſpecie celebrandi publicitus ambos illos Eccleſiæ Magiſtros, alterum eorum, vel etiam vtrumque per ora vulgi non traducerent.

Hoc quidem illis lubentes aſſentimur, quòd erga Prædeſtinatos ſingulariter eluceat eximia quædam Dei bonitas, Chriſti humanitas, φιλανθρωπία. Tit. 3.
Gratiæ vis ac facultas. Damus etiam non grauatè, quod inde conſequens eſt, Electos, quia plus acceperint, eſſe plurium debitores. Quòd autem præcisè, & ad extremum vſque rigorem cæteros omnes non ſolùm ab illo gratioſorum

delectu, sed & ab omni omnium Conditoris, & Patris affectu simul ac subsidio, saltem salutari, repellunt & exturbant, in eúmque finem tot Panegyricos dicunt meritissimo Patri; *de quo tam bene omnes in commune senserint, vt cunctis vbique & amori fuerit & honori*; vt ei pariter & Apostolo doctrinam impingant, quæ si vel maximè probabilis esset, quia tamen inuisa noxiáque meliori parti mortalium, non erat sparsim latéque proseminanda: laudes quidem aptè in eùm quadrare concedimus, nisi quòd sunt illæ merito minores; in eorum verò sententiam ire non possumus, in contrariam obfirmati non ratione modò, sed & illius potissimum auctoritate, qua se sola compulsos prædicant, vt à communi rectáque via ad nouos deuiósque tramites declinarent.

*Calest.1. ad Epist. Gall. to.1. cc. sub fin.*

Ad has enim angustias litem hanc coarctatam esse video, vt non tam de iure, quàm de facto ac mente vnius Scriptoris agatur. Nempe viderunt aliqui eius esse generis causam suam, quæ plus iis esset suspicionis allatura, quàm fidei; ideóque sibi præcauto opus esse iudicarunt. Viderunt eius esse nominis virum

illum ſingularem, cuius ore loquantur Scholæ, Pontifices, Cõcilia, Patres, quo proinde os aperiente, obmuteſcat illicò omnis lingua. Vnde cautiſſima ſolertia tot eius vndique tam diligenter, quàm laboriosè collectas laudes, & auctoritates in volumen iuſto grandius congeſſerunt; vt ex mente & monumentis illius, velut ex Adytis, & Cortina, inaudita quædam ambiguáque effata proloquerentur, quæ ex proprio ſenſu profari non auderent: ne ſi fortè de ſuo duntaxat illa comminiſcerentur, & depromerent, vel à nemine audirentur, vel apud omnes malè audirent. Quod qua mente fecerint; viderint ipſi: cui bono, loquantur vbique tot ingenia duas in factiones bipartita: qua veritate; ſententiam ferent, quorum eſt. Noſtra ſolùm intereſſe putamus, & operæpretium arbitramur ius commune noſtrúmque ſine cuiuſquam iniuria legitimè tueri.

Atque huc tendit hæc velitatio; non autem, vt quenquam omnium ſiniſtrè adoriatur, aut, quod abſit, parum reuerenter nec ſatis pro dignitate conueniat: verùm vt quem illi palam totum ſibi vendicant, meliori iure noſtrum

esse euincat, productis vbique ex editione illa Parisiensi tabulis; quas non ita pridem obsignarunt insignique calculo notauerunt Doctores celeberrimi Louanienses; quorum distributionem & censuram sequemur in citatione locorum, quibus hîc vtemur eo ordine quem præmonstrat Index, qui sequitur.

*Facultas*

# PARS PRIOR.

# PROPONITVR AFFIRMATIVA.

## CAPVT I.

### *Cur homo conditus?*

QVID in hominis conditione Deus intēderit, tot sunt testes quot dotes, quibus eum adhuc innocentem decorauit. Felicitas illa tam amabilis, tam optanda, tam commendabilis, nec nunquam satis commendata. *Quâ viuebat in Paradiso, sicut volebat, quandiu volebat, quod Deus iusserat.* Intellectus adeò rectus, vt nusquam de vero; voluntas adeò iusta, nusquam vt de bono deflecteret. Imperium animi absque

l.14. de Ciuit. c.26.

violentiâ, corporis obſequium abſque repugnantiâ. Vnanimis inter affectus omnes concordia; inter omnes motus

Ibid. quies admirabilis. *Summa in carne ſanitas, in animâ totâ tranquillitas.* Vbi *nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offenſio.* Vbi *nihil omnino triſte, nihil erat inaniter lætum.* Vbi *gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas, ex corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.* Vbi vigebat *Coniugum inter ſe fida ex honeſto amore ſocietas, concors mentis corporiſque vigilia, & mandati ſine labore cuſtodia.* Pulcherrimus ille virtutum Chorus, quo mens, & cor eius vndique cingebantur. Auxiliarius ille actualium, quas vocant, Gratiarum exercitus. Hæc aliáque ſexcenta primitus Adamo collata, &, abſque illo fuiſſet, deinceps conferenda, quid aliud præmonſtrabant, niſi viſcera Parentis optimi?

Ex hoc eodem corde paterno, ceu fonte, profluxit habitualis, Gratia, quâ dignatus eſt ſeruulum in Filium adoptare, quódque conſectarium eſt, in Hæredem. Atenim cuius patrimonij? Non huius certè terreſtris, & humani, bonis

promiscuè malísque communis; quod nihil in se continet honesti, nihil liciti præter vsum: sed illius cœlestis, & diuini, Dei filiis dignissimi; quo frui fas est, & ordinatissimum, quo præposterum, & nefas est vti, quia finis est, nec vltra quidquam est. Cùm ergo Deus hominem formaret è luto, cùm è fictili tam pretiosum, è mancipio filium efficeret, hoc vnum præcipuè spectabat, vt eum ex illâ felici conditione viæ transferret ad meliorem felicitatem Patriæ, nullo inter vtrãque mortis interpositu. Quod porrò tetigimus de homine, ad finem supernaturalem sublimato, non modò concedit notissimus ille aduersæ partis Antistes; sed & possibile negat contrarium, totis iis tribus libris, quos inscribit. *De statu naturæ puræ.* Nos concesso, & facto contenti litigiosam impossibilitatem contrarij, nec curamus, nec modò quærimus.

Non hærebat autem in solo Patrefamilias amor ille diuinus; excurrebat vlteriùs ad Matrem vsque viuentium, ad populosam vtriusque sobolem, quam Deus in radice prospiciebat. *Omnes fuimus in illo vno; quando omnes fuimus ille* l.13.de ciuit.c.14.

*vnus.* Et iterum, *Quicunque ex illo vno multi in seipsis futuri erant, tunc in illo vnus erant.* Quibus verbis passim repetitis fatetur S. Augustin. maluisse Deum, quatùm in ipso fuit, vt nos omnes, qui cum cadente miserabiliter lapsi sumus, feliciter vnà cum eo stetissemus, cui sic eramus concorporati, vt ille vnus nos omnes essemus.

*Epist 106. sub med.*

Qualis autem fuerit ea Dei voluntas, absolutáne simpliciter & efficax, an verò conditionalis, aut veluti suspensa ex aliquâ hypothesi, quam Deus reliquerit in manu, & plenâ potestate hominis, in confesso est apud Doctores, nullâ circa rem hanc Partium dissensione, non fuisse primi generis. Nam reipsa, & euentu patuit per hominem stetisse, quo minus ipse persisteret in eo statu, in quo vellet Deus eum permanere, si conditionem appositam tantâ fidelitate impleret, quantâ ante casum facilitate poterat.

Et verò cùm ex electione mediorum dignoscatur intẽtio finis, cúmque Deus elegerit media, quorum vsus, vel abusus è flexibili hominis arbitrio penderet, manifestum relinquitur & indubi-

ratum etiam Aduersariis ab indifferenti, & variabili hominis libertate pependisse executionem intentionis diuinæ. Dicitur autem conditionalis, quatenus separatim salutem hominis intendit; nam alioqui si spectetur, vt indiscriminatim respicit eius, vel innocentis salutem, vel sontis pœnam, adeò efficax est & absoluta, vt ab effectu nunquam seiungatur.

## CAPVT II.

### *De Gratiâ sufficienti primi Hominis, ante lapsum.*

ADIVTORIA *distinguenda sunt. Aliud est sine quo aliquid non fit; & aliud est adiutorium, quo aliquid fit.* His verbis breuiter distinguit simul, & definit duplex illud genus auxiliorum, quorum alterum vulgò sufficiens, alterum efficax appellatur. Vbi cùm ait primum esse, *sine quo aliquid non fit*, vult esse tale, vt eo præsente, res fieri possit, quemadmodum ante præmiserat. Ex quo aliisque locis desumi-

*Lib. de Corr. & Gr. c. 12.*

*cap. 11.*

tur & hæc altera definitio. Primum est, *quod dat homini posse, si velit.* Secundum, *quod dat insuper, vt velit.*

Iam verò alterutrum ex his duobus auxiliis fuisse Adamo necessarium in statu naturæ integræ constanter docet S. Aug. *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique suâ culpâ cecidissent; adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Consociat homines in eo statu, cum Angelis viatoribus, quorum vult eandem esse causam, & tantam Gratiæ necessitatem, vt, eâ subductâ, casus eorum culpâ, vacasset. Quod autem ibi docet communiter de vtrisque, hoc vbique tradit specialiter de hominibus. *Natura humana etiamsi in illâ integritate, in quâ condita est, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adiuuante, seruaret. Cùm igitur sine Dei Gratiâ salutem non posset custodire, quàm accepit; quomodo sine Dei Gratiâ posset reparare, quàm perdidit?* Quæ verba planè immutata repetit, & canonicè confirmat Concilium alterum Arausicanum. Et alibi

Ibid. c. 11.

Epist. 106. [illegible]

S. A. *Sicut in hac carne viuere sine adiumentis alimentorum in potestate non est; non autem in eâ viuere in potestate est; quod faciunt, qui seipsos necant: ita benè viuere sine adiutorio Dei, etiam in Paradiso, non erat in potestate; erat autem in potestate malè viuere.* Et iterum Pelagio primùm suborienti, & simplicium mentibus instillanti venenum hoc, videlicet, *Quòd non peccare nostrum sit, posse verò non peccare non nostrum*; quo loquendi modo vulpes illa pseudomonachum, induta, fatebatur acceptam à Deo potentiam naturalem, sed negabat Gratiam supernaturalem, ita contradicit. *Si de integra & sana hominis naturâ loqueretur, quam modò non habemus, nec sic rectè diceret, quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamuis peccare nostrum esset; nam & ibi esset adiutorium Dei, & tanquam lumen sanis oculis, quo adiuti videant, se præbere volentibus.* Id est, si velint ipsi se præbere, aut applicare ad videndum. Rursus, vbi de Adamo nondum decumbente, *Semper Deus medicus opus est etiam sanis, vt sanitas ipsa teneatur.* Ita tamen, vt hoc genus remedij sit προφυλακτικὸν, non verò θεραπευτικὸν, vt eò loci videre est.

Cap.19. l.14. de Ciu. c.27

l.de Nat. & Grat. c.48.

Serm.34. de diuers. c.3.

Ex hac autem triplici comparatione intelligimus, non fuisse hoc auxilium efficax, seu *Quo aliquid fit*; sed tantùm sufficiens, seu *Quo res fieri possit*. Nam præsente lumine, alimento, vel antidoto, non ideò statim quis videt, si oculos claudat; nec viuit, si αὐτοφόνος, esse malit; nec malo præcauet, si de remedio nil curet: quan quam hæc omnia facilè possit, si velit. Hoc etiam alibi disertè tradit. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet; vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere, si vellet; quia non deerat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere, quod vellet.*

l. de Corr. & Grat. cap. 11.

His aliísque testimoniis consonat euentus lamẽtabilis, quem Πρωτόπλαστος, ille deplorauit, & lachrymarum fontem transfudit ad filios. Quos sicut is ipsemet, *quando consensit Diabolo, ex Diabolo natus est; ita tales genuit, qualis erat.* Vt loquitur S. Aug. enarrando primam S. Ioannis epistolam. Et alio loco. *Incidimus in principem huius saeculi, qui sedu-*

tract. 4. subf.

Fragm. 7.

*xit Adam , & seruum fecit , & cœpit nos tanquam vernaculos* , aut vernulas, *possidere*. Ex quo plus nimio constat, non fuisse illud subsidium, *Quo bonum fieret*; sed solùm, *Quo fieri posset*. Cuinam autem acceptum referre debeat homo, hoc auxilium, an Deo soli, an prætere a Mediatori? si quæras, audi quid adiungat. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat.* Et statim. *Ille in illis bonis Christi morte non eguit.* In quibus si permansisset homo, aut *Si homo non perisset, filius hominis, non venisset.* Quod pronuntiatum refert, & amplectitur S. Thomas tanti Doctoris séquacissimus; hodiéque recensetur inter ἀξιώματα, in vtriusque Scholâ receptissima; semotis ambagibus distinctionum, circa substantiam, aut modum Incarnationis. Agnoscit ergo Gratiam in Adamo noudum præuaricatore *magnam* quidem, non tamen è venâ Christi deriuatam. Agnoscit *lætiorem*, quia *nulla rixa à seipso aduersus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, sua secum pace fruebatur*. Sed postmodum rebellis sibi

*cap.11. de Corr. & Grat.*

*Serm. 8. de verb. Apostol. c. 2.*

*3. part. q. 1. art. 3.*

*l. de Corr & Grat. cap. 11.*

factus, quod fuerat Deo, *etsi non lætiore, verumtamen potentiore indiguit.* Et hac indigentiâ propriâ ad suósque, hæreditatis vice, transmissa, didicit ipse, & docuit nos, nihil esse verius, quàm

Ibid. c. 10. Deum, *Sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium.* Vbi nec Gratiam tollit in priori membro, potestatem libertatis extollendo; nam, vt prosequitur,

cap. 11. *Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus; sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset; & sine qua etiam cùm libero arbitrio bonus esse non posset.* Nec in altero membro minuit libertatem, ex-

Epist. 89. sub med. tollendo Gratiæ virtutem; *Neque enim voluntatis arbitrium ideò tollitur, quia iuuatur; sed ideò iuuatur, quia non tollitur.*

Ante lapsum igitur gratiam è Christi meritis minimè pendentem accepit, qua posset non cadere, si vellet. Sed accepítne post lapsum gratiam, qua surgeret, nec amplius caderet; sed stabilis ad finem vsque perseueraret, aut certè post alios lapsus repetitum salubris viæ

curriculum interrumpentes, identidem resurgens ad metam, vsque salutis patriæque peruenerit? Cúmque omnis Gratia naturæ lapsæ sit donum Mediatoris, *cuius hominis eiusdémque Dei saluberrima fide etiam illi iusti salui facti sunt, qui prius quàm veniret in carne, crediderunt in carne venturum*, hoc est, Christiani fuere prius, quàm eo nomine donarentur; fuítne primus hominum primus Christianorum? Et quanquam ob peccatum, quo venundati sumus, & gratiam, qua Redempti, sit magna quædam antithesis inter Adamum, & Christum; vnde fit vt, *totum genus humanum quodammodo sint homines duo*, teste S. Prospero; Quorum *in duorum hominum causa propriè fides Christiana consistit*, asserente S. Augustino; adeóne delicto præualuit aut superabundauit gratia, vt primus homo, post suum à Deo transfugium ad Dominum suum, Mediatoris interuentu potiùs, quàm iure postliminij, tandem redierit?

Epist. 157. post p.

Ex l. 1. Retr. c. 13.

Sent. 299.

l. 2. contra Pel. & Cel. c. 24.

# CAPVT III.

## *De ſalute primorum parentum.*

IVLIANO primordiale peccatum alleuianti, nec extra capùt in membra diffundenti *ineffabiliter grande* fuiſſe reſpondet S. Aug. in eo opere poſteriori, quod tardiùs inchoatum, & mortis inuidia poſthumum reliquit contra *iuuenem illum confidentiſsimum.* Sanè *grande* fuiſſe neceſſe eſt, quod vnũ cùm ſit, tam multa ſint, quot vulgò naſcuntur capita. Dixi *vulgò*; quia vulgaris non eſt, cui vel D. Thomas hocce priuilegium adiudicat. *Poteſt aliquid creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis; ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit. Et talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit.* In aliis quoque *grande* peccatum eſt, *quo primus homo perdidit ſe, & omnes in ſe.* Perdidit in præſenti vita; quia ſe ſuóſque fecit obnoxios, *huius tam miſeræ quaſi quibuſdam inferis vitæ.* Perdidit poſt hanc vitam; in iis enim captiuis, quos filius non libe-

*l.1.c.103. operis inchoati.*

*l.2.cap 8. operis perf. contra Iulian.*

*In 1. ſent. diſt 44. art.3.*

*S. Aug. contra Iul. l.2.oper. inch.c.7.*

*l.22. de Ciu.c.22.*

rauerit æternam fore non dubitamus, quod fecit Origenes, *illam ingentem, & ineffabilem ruinam, qua in vno omnes cecidimus*; quæque continuo ſcelerum propriorum additamento fit enormior in dies, & lamentabilior. Eſt *ineffabile* peccatum, *quo nihil ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius.* Quod à ſe dictum initio, conuerſionis ſuæ ad extremum vſque ſpiritum, ita retinuit; vt in quæſtione de culpa originali, & de origine animæ, quæ duo æquè inſolubilibus difficultatum nodis vnà connectuntur, cunctabundus ſemper hæſerit; nec tam peccati illius naturam inquirendam eſſe docuerit, quàm medelam.

l. de do. perſ. c.24.

l. de morib. Eccl. cap.22.

Attamen ille tantus dubitator de malo nunquam dubitauit de remedio; quod etiam Adamo ſalnbre fuiſſe teſtatur ad curandum vulnus, quo non eum origo, ſed voluntas peruerſa per abuſum liberi arbitrij ſauciarat. Nam *ille omnium benigniſſimus conditor, & iuſtiſſimus Odinator*; cuius benignitate patientiſſimâ viuere peccator ſinitur, *non ob aliud, niſi vt adducatur ad pœnitentiam.* Cuius ordinatione iuſtiſſimâ qui miſe-

Epiſt. 120. cap.13. l.de catech. rudib.c.26.

ricordiam respuerit, iustitiam sentiet, maluit erga tantum peccatorem clementiæ, quàm vindictæ locum cedere.

Ad quæstionem, cur, remissâ culpâ, nihilominus exigatur pœna, ita respondet S. Aug. *Sicut illi primi homines posteà iustè viuendo; vnde meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati; non tamen in illa vita meruerunt ad Paradisum reuocari: Sic & caro peccati, etiamsi, remissis peccatis, homo in ea iustè vixerit, non continuò meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati.* Quo in loco sociam adiungit ad salutem, quæ dux fuerat ad mortem; quæque ideò vocatur alicubi. *Adiutrix Diaboli.* Nec est, quòd causeris fidem hanc popularem esse. Nam *de illo primo homine, Patre generis humani, quòd eum Christus ibidem*, in inferis, *soluerit, Ecclesia feré tota consentit. Quod eam non inaniter credidisse credendum est; vndecumque hoc traditum sit. Quanquam illud, quod in libro Sapientiæ scriptum est; hæc illum, qui primus factus est, Patrem orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia; magis pro hac sen-*

*l.2. de pecc. mor. & remiss. cap. 34.*

In Psal. 55. *subf.*

Epist. 99. *ante m.*

Sap. 10.

*tentia*, *quàm pro alio vllo intellectu facere videatur.* Præterea Pelagium dicentem, *nec ipsum primum hominem ideò, propter peccatum, morte damnatum esse,* his inter alia verbis refellit; *Quasi aliquid postea de perfectione iustitiæ eius audierit, nisi quod commendat Ecclesia, & ipsum Christi Domini misericordia liberatum.* Vnde libro de hæresibus, inter Hæreticos censet Tacianos, *quòd primi hominis saluti contradicerent.* *l. de Nat. & Grat. cap. 21.* *cap. 25.*

Facilè consentit S. Fulgentius. *Semper Dominus pro peccatoribus laboriosus, in peccatoribus pius, pro peccatoribus orans, peccatoribus donans, aut Aduocatus orat, aut iudex donat. Sic itaque vt confessus Latro muneraretur, Dominus ad Paradisum venit; vt Adam à pœnis eriperetur, Dominus ad Inferos plenus homo descendit. hunc honorauit. Illum liberauit.* Vbi sub nomine Adami comprehẽditur & Eua; *Non enim ambigitur sic appellatam fuisse fœminam Euam proprio nomine, vt tamen Adam, quod interpretatur homo, nomen esset amborum.* Scilicet iam tum præsignificauit in vtroque capite, quid à reliquis membris exigeret. Adeò verum est illud S. Prosperi. *Quid tam longani-* *Hom. 19.* *l. 15. de Ciu. c. 17.* *In Ps. 102.*

*mum, quid tam abundans, quàm Deus, qui in misericordia pluit super iustos & iniustos? Parcit contemptus. Parcit negatus. Et mauult vitam peccatoris, quàm mortem. Quoniam longitudo patientiæ eius, eruditio est pœnitudinis, & oblatio correctionis; nec vlla opera eius misericordia vacant; quando homini, & mansuetudine consulit, & flagello.* Et alio loco, vbi de piissimâ Dei iustitiâ erga peccatores famosissimos, *Sic præsumptores cæduntur, sic castigantur superbi ab eo, qui potat in lacrymis in mensura, quia sunt iudicia eius suauia.*

*l. de promiss. & prædict. Dei p. 2. cap. 34.*

---

## CAPVT IV.

### *De amore Dei erga Cainum.*

NEQVE verò totam illam suauitatem Adamus ebibit. Perenniter filiis propinatur. Primus occurrit in ipsis naturæ cunis ille Mortalium, & Reproborum Primogenitus. *Primus ille terrenæ ciuitatis conditor fratricida.* Hunc Deus suauiter, vt auerteret à culpa, quid non egit? Post scelus conceptum, necdum editum, sic

*l. 15. de Ciu. c. 5.*

homine

hominem conueniſſe legitur. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne, ſi bene egeris, recipies? Sin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Quæ verba ſiue ita retineamus, vt vulgò, & benè iacent; ſiue tantillum immutemus, vt cum ſuis ſeptuagintá ſenioribus facit S. Aug. ſenſu tamen nihil mutato, quanquam aliquantò perplexiori; quid aliud ſonant, quàm quod exſpectant aures fideles, & *ſentientes de Domino in bonitate*, nimirum voluiſſe Deum à perditione Perditum illum præſeruare eique dediſſe, vnde poſſet à tanto crimine manus abſtinere. Præſeruare voluit; *non eum dimittens ſine mandato ſancto, iuſto & bono.* Et quia mandatum ſine gratiâ, aut quia litera ſine ſpiritu non peccato præualet, ſed illud potiùs auget, præbendo occaſionem in vetitum obmitendi, & præuaricandi; ei promiſit auxilium, quo concupiſcentiæ, & peccato præualere poſſet; ait enim, *Tu dominaberis illius. Vt cùm forinſecùs*, concupiſcentia, *non permittitur operari, ſub poteſtate mentis regentis, & beneuolentiæ aſſueſcat etiam in-*

Geneſ. 4.
Ibid. c. 3.
Sap. 1.
Ibid.

*trinsecus non moueri.* Quibus apertè, significat S. Aug. gratiam ei suppeditatam esse qua *dominatum* illum obtineret; qua concupiscentiam *interius* frænaret; qua mentem *beneuolentem*, mentem cupiditatis aut iræ *dominatricem*, *& regentem* possideret. Vnde refert hoc Dei præmonitum. Peccasti. *Quiesce.* Peccasti scelus concipiendo. Quiesce à perficiendo. Addit etiam Caino non defuisse, *salubrem pœnitentiæ medicinam*, quam illi Deus adhibuit, tum increpando tristitiam, *de alterius bonitate*, *& hoc fratris*; quem tam *bonum mutatus imitari, non elatus debuit æmulari:* tum præcipiendo, vt quiesceret ab ira, cui dominari poterat; nec enim frustrà dictum est, tu dominaberis illius, si modò volueris, quod velle poteris; tum hominem post scelus commissum conueniendo dicens, *vbi est frater tuus?* Fratrem minus, quàm fratricidam quærendo. Quemadmodum, nescio quot antè diebus, patrem eius idcircò interrogauerat; *vt peccatum suum ore proprio confiteretur, vt posset peccati veniam promereri:* Quod idem requirebat Deus à filio. Ideóque *Adam quia interroganti Do-*

*Ser. 104. de temp. med.*

*mino confessus est peccatum, quod commisit, veniæ redditus est: Caïn, quia negauit parricidium, æterna pœna damnatus est;* tum sceleratum caput ad finem vsque *septimæ generationis,* ad pœnitentiam expectando. Quæ quî possunt intelligi ab homine veritatis, quàm contentionis amantiore, si nec Deus illum reuocare voluit; nec ille redire potuit? Qui saluum esse possit illud S. Hieron. apud quem Deus ipse fontem sic alloquitur; *nónne si benè feceris*, mihi credendo & sistendo à parricidio cogitato, *dimittetur tibi omne delictum tuum*, quod commisisti inuidendo? *Quod si malè egeris, ilico peccatum ante vestibulum tuum sedebit, & tali ianitore comitaberis, verùm, quia liberi arbitrij es, moneo, vt non tibi peccatum, sed tu peccato domineris.* Raban. Maur. in Gen. l. 2. lib. qq. Hebr.

Quî demum sic loqueretur S. Prosper? *Bonitas Dei ne illi quidem parti defuit, quæ in caritate non stetit, & ab initio sui, veneno diabolici liuoris intumuit. Principem enim gentis impiæ, sancti fratris meritis inuidentem, cædémque eius parricidali corde meditantem dignatur paterno mitigare consilio dicens ad Caïn, vt quid tristis factus es?* Tum, interiectis quibusdam l. 2. de voc. Gent. c. 4.

aliis, quæ ſupradictis congruunt, pergit tam verè, quàm eleganter locum illum Geneſeôs enarrare inducendo Deum ita loquentem. *Tuus ergo hic error eſt, tuúmque peccatum. Quieſce, & noli in inſontem fratrem moueri. Ad te potius tua culpa reuocetur. Noli peccato in te regnum dare, ſed tu potius in ipſum ſume dominatum. Pœnitendo enim nec in maius facinus progredieris; & ab eo, in quo te doles diſpliçuiſſe, mundaberis.*

*Cùm ergo talia ad Cain loqueretur Deus, nunquid ambiguum eſt voluiſſe eum, &, quantum ad medendi modum ſufficiebat, egiſſe, vt Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret? Sed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, vnde debebat eſſe correctior.* Vbi cùm ait, *ſine dubio voluiſſe Deũ, & quantum ad medendi modum ſufficiebat egiſſe, vt ille reſipiſceret*, nónne diſertè commemorat Gratiæ ſufficientiam?

Sic igitur ſanctus ille S. Doctoris diſcipulus, in libris de *vocatione Gentium*, qui vulgò recenſentur inter opera S. Ambroſij; ſed reuera ſunt S. Proſperi, vt præter alios DD. fatentur etiam Aduerſarij; & confirmat vel ipſa lectio ciuſdem ſancti ſibi aliis in locis hac in

*Ianſ. lib. proœm. c.25. l.8. de Hær. Pel. c.25. l.3. de Gr. Chr. c.20.*

parte consentanei; vt in libro *de promissionibus & Prædictionibus Dei*, vbi similem Dei cohortationem, quanquam compendiosus, refert. Quibus in locis disertè probat Deum voluisse, ne periret ille perditionis filius. De quo cùm dubium lectoris hac præoccupatione S. Aug. anteuenit, *sed hoc ipsum quid ei profuit? Nonne conceptum scelus in necando fratre etiam post verbum diuinæ admonitionis impleuit?* Ex ipsis terminis intelligendum relinquit negari solùm rei euentum, non Dei optatum.

par. 1. c. 6.

l. 15. de Ciu. c. 7.

---

## CAPVT V.

### *De amore Christi erga Iudam.*

CAINVM, quem scribit S. Aug. fuisse & Romuli, & Iudæorum ἀρχέτυπον, Iudas præ cæteris ad viuum expressit. Vnde libro *de Hæresibus*, vna dicitur exstitisse, quæ vtrumque propter morum similitudinem cõsimili cultu veneraretur. Sicut autem illius scelerati malitiam hic alter impius prosecutus est; ita Christus Dei Patris

l. 15. de Ciu. c. 5.

cap. 18.

misericordiam imitatus reddidit, dignatus esse Proditori suo, quod Pater fuerat parricidarum omnium primo.

In Ps. 58. conc. 2. sub fin. Diuinus ille Medicus tam potens, vt ei nihil sit *insanabile*; tam præsens, & officiosus, vt *nulli renunciet*. Ille mundi In Ps. 97. sub med. Redemptor tam diues, vt *quando tantum pretium dedit, totum emerit*, non partem, vt de sua præsumebat Donatus, cuius illic mentio; non aliquot ex Orbe toto, vt volunt aliqui diuinæ Gratiæ restrictores; sed quidquid non præualet pretio tanto. Saluator ille tam sitibun- Isai. 65. dus salutis humanæ, vt *expandens manus suas ad populum incredulum in cruce positus, sitio, dixerit; quamuis illi non hoc de-* In Ps. 61. med. *derint, quod sitiebat. Ipsos enim ille sitiebat, illi acetum dederunt*; nonne Iudæ salutem sitiebat, cùm ei iam iam pro illo moriturus, post tot ante collata beneficia, suum sanguinem tam prodigus amator porrexit? Quid aliud cogitabat S. In Ps. 68. sub fin. Aug. cùm hæc scriberet? *Christus pati venerat, & puniuit, per quem passus est. Nam Iudas traditor punitus est, & Christus crucifixus est. Sed nos redemit sanguine suo, & puniuit illum de pretio suo. Proiecit enim pretium argenti, quo ab illo Dominus ven-*

*ditus erat; nec agnouit pretium, quo ipse à Domino Redemptus erat.* Dicit eum fuisse *punitum*, quia desperauit; dicit & *redemptum* ab eo, qui nos *redemit*, quia & pro nobis, & pro illo pretium ἀντίλυτρον, & promisit, & reddidit ac repræsentauit. Vbi dum vtitur eodem redimendi verbo, quando de nostra, & illius redemptione loquitur, satis arguit Christo non defuisse animum, quo Iudam nobiscum saluare vellet, si modò saluari ipse voluisset. 1. Tim. 2.

Alibi quoque exponendo symbolum Catechumenis. *Quid egit vesana impietas Iudæorum, quia inuitati non solùm venire noluerunt, sed insuper sponsum occiderunt? Quid egit iniquitas Iudæ, qui eum vendidit, à quo redimi debuit?* Imò verò, vt iam dixit, redemptus est; quantum in Redemptore fuit. Debuit ergo redimi, quia debuit voluntati Redemptoris obsequi, applicando sibi redemptionis pretium. Nam *poculum hoc immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.* Quam ob causam dicebat Apostolus, *adimplere se ea, quæ deessent* l. 2. c. 6. tom. 9. S. Prosper. Obiect. 2. Vincent. Coloss. 1.

*passionum Christi, in carne sua pro Corpore eius, quod est Ecclesia.* Quatenus per medios labores ministerium suum implendo passioni Dominicæ fructum omnibus porrigebat.

Meritò itaque Iudæ in opprobrium culpámque vertitur, quod *Dei misericordiam desperando exitiabiliter pænitens nullum sibi salubris pænitentiæ locum reliquerit.* Pœnitens verè exitiabilis sibi, cuius in exitu, *tam peruersa conuersio fuit, vt etiam pænitendo peccaret.* Verè sibi exitiabilis, qui paratam, *Dei misericordiam desperauit*; qui sibi ipse, non Deus illi, *salubris pænitentiæ locum* præclusit; qui ad laqueum exitialem festinare quam Crucem saluberrimam exspectare maluit. *Vnde scelestior omnibus, Iuda, & infelicior exstitisti, quem non pænitentia reuocauit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. Exspectasses consummationem criminis tui, & donec sanguis Christi pro omnibus funderetur peccatoribus*, ac proinde pro te non omnium minimo, *informis lethi suspendium distulisses.*

*l.1. de Ciu.c.17.*

*S. Leo ser. 5. de pass.*

*Id. serm. 3.*

Paterna Christi Domini erga Iudam viscera, ita commendat S. Aug. vt Christum Dauidi, Iudam comparet Absa.

loni, cuius nomen post alios interpretatur, patris pacem. *Quia pater habuit pacem, quam ille non habuit.* Sicut ergo pax beneuolentissima, fuit in corde Dauidis filium lamentati, non in corde Absalonis patrem persecuti; ita beneuolentia pacatissima fuit in corde Christi Iudam, vt filium, osculati, non Iudæ tam pium dominum, & patrem exosi. Proptereáque Dominum ita conquestũ ferunt. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Et, si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan*, vtique, nam eadem vtrobique particula, ἄν, *ab eo. Tu verò homo vnanimis*, ἰσόψυχε, *dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulauimus cum consensu*, ἐν ὁμονοίᾳ. Ex tantâ benignitate, *tamque mirandâ patientiâ*; ex tot & tantis beneficiis, *benè intelligitur Christum pacem exhibuisse traditori suo; quamuis ille tam sceleratæ cogitationis interno bello vastaretur*. Quonam verò cordis affectu pacem ei Christus obtulerit, testis est animus, quo Dauid Absalonem suum seruare voluit, & quo perditum deplorauit.

*In Psal. 3. princip.*

*S. Hilar. Theodor. & c in Psal. 54.*

*S. Aug. in Psal. 3.*

Quòd si, vt prænotauerat, quemad-

modum Dauid filium, ita Christus fugit Discipulum, non solùm *historicè in montem* Oliuarum *secedendo*; sed & *spiritualiter, quando mentem Iudæ filius Dei*, id est, virtus & sapientia Dei deseruit; non negatur gratia, qua redire posset; sed tantùm, qua rediret. Aliàs enim Christum non appellasset Saluatorem, & Iudæ, & omnium Iudæorum, *qui propter superbiam suam, spernentes humilitatem Dei, crucifixerunt Saluatorem suum, & fecerunt damnatorem suum.* Christúsne, amabo, diceretur eorum Saluator, quorum fuit damnator, nisi saltem eos saluare voluisset? Quam voluntatem si non est effectus subsecutus, in causa sunt ægri, non medicus, *qui sanat omnino quemlibet languidum, sed non sanat inuitum.* Vnde alibi nominatim de hoc Proditore. *Quis dubitauerit, quòd Iudas Christum, si voluisset, non vtique tradidisset; & Petrus si voluisset, ter Dominum non negasset?* Ideóque sonti voluntariò sic imprecatur. *Diabolo subditus sit, qui Christo subditus esse noluit.* Qui *præposuit auaritiam sapientiæ; & pecuniam saluti suæ, vt eum traderet, à quo debuit possideri, ne à Dæmone possideretur.* Qui *noluit talis esse,*

*tract. 4. in Ioan. p.*

*In Ps. 102. sub med.*

*l. de vnit. Eccl. c. 9.*

*In Ps. 108. sub med.*

*cui diceretur, intra in gaudium Domini tui. Qui Christum noluit sequi, sed persequi.* Quæ quis non videt perperam dicta, si non habuit, vnde velle posset, quod noluisse incusatur? Habebat sanè, quò posset & velle, quod noluit; & sequi, quod fugit. Nam *si teneret illud, ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret. Sed non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem vetusti generis potius elegit.* Quæ totidem verbis repetit S. Prosper in eundem Psalmum. Ibid.

Vbi dum vterque negat mansisse Iudam in eo, ad quod vocatus est, plus intelligit, quàm Apostolatum; nam si permansisset solùm Apostolus, qualis erat, quando tantus peccator erat, non ideò peccatum ad eum non pertinuisset. Vult itaque vocatum esse ad gratiam, & salutem, aut, sicut ambo loquuntur, *ad adoptionem in familia Dei,* non vtique temporalem solùm & viatoriam, sed æternum permansuram in patria; nisi hanc tristi exilio miser commutare maluisset. Alioqui quomodo *redemptus* erat? Quomodo paternè Christus eum, & plus quàm Dauid Abſalo-

nem diligebat, si non magis eum saluare volebat, quàm *Dæmonem*, qui in ipsum intrauerat? Quomodo subiungeret S. Prosper, *Iudas benedictionem abiecit in Christo*? Et ante illum S. Aug. ibidem, *Iudas maledictionem dilexit & furando, & Dominum vendendo, atque tradendo. Iudas Christum noluit, in quo est æterna benedictio.*

*Ians. l. 3. de Gr. Chr. c. vlt.*

*In Ps. 108.*

Horum vestigia premit S. Fulgentius. *Dignè quidem pœnitentiam gessit, quia peccauit tradens sanguinem iustum. Sed ideò sibi fructum pœnitentiæ denegauit, quia peccatum traditionis suæ ipso, quem tradidit, diluendum sanguine non sperauit.* Si non magis pro reprobis, quàm pro Dæmonibus, vt iactant, Christus mori voluit, quomodo Iudas ideò periit, quia non in Christum sperauit? An ideò Satanas cum suis è cœlo deturbatus, quia peccatum superbiæ suæ Christi, *sanguine diluendum non sperauerit*? Pergit idem alio loco. *Christus, qui pro impiis mortuus est, non denegasset suo traditori redemptionis beneficium, si non ille sibi desperando adimeret tempus remissioni concessum. Non ergo rectè pœnitentiam gessit, nec iustum vindicem se sui sceleris pertulit, auxit quip-*

*S. Fulg. Epist. 7. cap 5*

*S. Fulg. l. 2. de remiss. pecc. cap. 16.*

*pe, non abstulit supplicium meriti, criminis sui vltor iniustus, qui occisori suo*, nempe sibi, *tempus conuersionis ademit occisus. Ac per hoc, quia ipse se occidit, ipse sibi vtique tempus conuersionis, se occidendo, subtraxit. Miserrimus Iudas, qui cùm malè crimen traditionis admiserit, peius illius criminis pœnitudinem gessit; quia penitus indulgentiam non quæsiuit: ac sic illa grauis culpæ pœnitentia deterior est inuenta, quàm culpa. Illud etenim dominicæ traditionis peccatum habuit posterius tempus, quo posset ablui; illum verò punit sententia, quæ non conuersionem habuit, sed desperationem. Ideò pœnitentem non adiuuit, sed peremit; quia sibi conuersionis tempus occisione abstulit, & indulgentiam desperatione subtraxit. Tantùm ergo valet opportunitas concessi temporis ad indulgentiam peccatorum.* Hinc vides Christum fuisse paratissimum veniæ indulgendæ, si eam sibi proditor non subtraxisset; morte præueniendo, *posterius tempus, quo peccatum eius posset ablui*, teste S. Fulgentio, *& debuisset*, teste suprà S. Augustino.

Illum ergo Dominus liberare voluit, in eum tamen sperare non potuit. Spes enim in Christo fuit fiducia firma ex

ἀμετάπτωτοι, proindéque incompatibilis cum infallibili præſcientia, qua præno-uerat voluntariam propudioſi capitis malignitatem. Vnde S. Aug. enarrans
Pſal. 40. illud, etenim homo *pacis meæ, in quo ſperaui*, vult illud à Chriſto dictum eſſe non in perſona capitis, ſed Membrorum, quæ cum Pſeudo-apoſtolum inter veros Diſcipulos viderent, de illo bona ſperabant, quia animum eius, & exitum ignorabant. *Quomodo in illum ſperauit, niſi quia in membris ſuis ipſe eſt, & quod multi fideles de Iuda ſperauerunt, hoc in ſe transfigurauit Dominus*? A ſancto iam tum ſibi probè noto non diſſentit S. Hieronymus, qui Marcioni quærenti, cur Iudam Chriſtus elegerit, cùm ſciret eum miſerè periturum, reſpondit, quia
l. 3. aduerſ. Pelag. poſt. p. *tantæ bonitatis eſt, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & ſcit malum futurum; dans ei poteſtatem conuerſiònis, & pœnitentiæ iuxta illum ſenſum Apoſtoli; ignoras, quia benignitas Dei*
Rom. 2. *ad pœnitentiam te adducit*? Deinde ſub finem libri vſque adeò S. Presbyter S. Epiſcopum de diuina Gratia diſputantem extollit, vt ibi famoſus cenſor ſubdiderit,
Eraſm. *nuſquam de Auguſtino locutum*

*esse honorificentiùs Hieronymum, quàm hoc loco.*

## CAPVT VI.

### *An Deus velit reprobos omnes saluos fieri.*

QVOD de duobus illis perditorum Coryphæis, docuit S. Aug. idem potiori iure docebit de aliis. Ac primò quidem, quotquot pereunt, perire contra voluntatem Dei optantis eorum salutem frequentissimè testatur. Insignis inter alia locus exstat *l. 3. de spi. & lit. c. 33* in libro de spiritu & litera, vbi disputando de prima, & pia illa voluntate credendi, & eius origine, an sit vel à nobis, vel à Deo, hæc habet. *Vult Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vtentes iustissimè iudicentur. Quod cùm sit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt*, voluntatem scilicet illam saluandi omnes, vt proximè ex Apostolo præfatus erat, *Cùm eius*

*Euangelio non credunt: nec ideò tamen eam vincunt, verùm seipsos fraudant magno, & summo bono, malisque pœnalibus implicant; experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper inuicta est; vinceretur autem, si non inueniret, quid de contemptoribus faceret, aut nullo modo possent euadere, quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, verbi gratia; volo, vt hi omnes serui mei operentur in vinea, & post laborem requiescentes epulentur, ita vt, quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molant. Videtur quidem quicunque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere*; id est, vt confestim subdit, videtur eam vincere, *sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens effugerit. Quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate.* Cùm ergo vult paterfamilias, vt serui post laborem requiescant & epulentur: Sin minus, vt alij trusatilem, alij asinariam molam circumagant; quis neget, quin ille primum ex animo velit, aut etiam multò malit, quàm alterum? Aut à pari post S. Aug. arguendo, quis neget; quin Deus salutem hominum multò malit, quàm perditionem? Ex qua

doctrina

doctrina de reprobis infidelibus colligere est, quid senserit de aliis, fidelibus quidem aut etiam iustificatis, sed ad tempus, quia non electis.

Hunc locum vt subnectant, aut supino lectori suspectum efficiant, inter alia causantur opinionem hanc esse ex earum numero, quibus ille nondum Episcopus Semi-pelagianus postmodum nascituros præformauerat. Addunt ex ipsius S. Aug. testimonio totum illud caput, quo continetur locus citatus in *disputatione* versari. Vnde colligunt prolixam illam capitis allati deductionem non esse assertionem, sed disputationem. Quod vtrum ex mente S. August. dicatur, iudex sedeat præ cæteris sanctus ipse, qui quamuis aliàs circa primum actum fidei, & credendi voluntatem idem senserit, quod postea Massilienses; in hoc tamen sensu non perstitit post Episcopatum, si credimus ipsi hoc in vltimis asserenti. Si fidem habemus, & S. Prospero fusè, & pereleganter eandem veritatem contra Genuenses tuenti. Iam dudum autem Episcopus erat, iam Donatistas post anteriores hæreticos profligauerat, iam libros tres contrà

*Ians. l. 8. de hær. Pelag. c. 15. & l. 2. de Grat. Chr. c. 30.*

*l. de prædest. SS. c. 3.*

*dub. 3.*

Pelagianos in lucem emiserat, cùm addidit & quartum illum de spiritu & litera, in quo, vt fatetur alibi iam grandæuus Episcopus, *acriter disputauit contra inimicos Gratiæ Dei.* Ecce tibi *disputationem*, cuius nomine vides, an neget assertionem. Certè S. Prosper πολεμικάς, S. viri disceptationes, & victorias, quibus non est vllum opus eius magis decretorium, magis palmarium, non alio frequentiori nomine, quàm *disputationum* indigitat, & inter tot titulos, quibus sancti Patris meritum vbique commendare solet, vocat illum *disputatorem admirabilem.* Subterfugium ergo quærere super hoc *disputandi* verbo, quid est aliud, quàm nodum in scirpo quærere?

*l.2. retr. cap.37.*

*præf. ad cap. Gall.*

*Ad dub.8. Genuens.*

Sed, ne mora in vno loco videatur aliorum inopiam præ se ferre, videamus quàm ex sua mente, quámve alienus à semipelagianis hoc pronuntiarit. Iam de illis certior factus erat per literas SS. Prosperi & Hilarij. Iam hæreticis illis non modò non fauebat, sed & acriter resistebat, cùm cygneam illam vocem emisit loquendo de reprobis, *Est in malorum potestate peccare. Vt autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non*

*l. de prædest. SS. c.16.*

*est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras & ordinantis eas; vt hinc etiam, quòd faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur, nisi voluntas Dei.* Quod ipsum ad se rescriptum ab eo postmodum è vita decessuro iisdem terminis exscripsit fidelis ille Discipulus, qui contra Genuenses, super hoc conquestos suum defendit & Magistrum, & Patrem iam tum μακαρείτην. Faciunt ergo contra voluntatem Dei volentis non eorum mortem, vt ait Deus ipse apud Prophetam, sed vitam & salutem; intendentis finem hunc; eligentis media ad eum obtinendum, putà mandatorum custodiam; nolentis interiectum obicis, putà præcepti transgressionem. Et tamen non *impletur, nisi voluntas Dei*, pro sua iustitia punientis, quos misericordiâ viderit abuti maluisse. In quo semper est & benignus, quia neminem perdit, nisi perire volentem, & æquus, quia non nisi sontes voluntarios condemnat; nec illud quidem faceret, nisi malis nostris bene vti nosset. Quò facit etiam tam frequens, & obuia commendatio diuinæ in omnes longanimitatis μακροθυμίας. Vnde D. Petrus appositè ad rem præsentem,

*S. Prosper. dub. 8.*

*Ezech. 33.*

*Ep. 2. c. 3.*

Epist. 2. cap. 3. & ad hæc tempora. *Domini nostri Iesu Christi longanimitatem, salutem arbitremini. Sicut & carissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis. Sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Quod expertum etiam esse S. Aug. quis nescit? Inter alios de tanto viro sic obloquitur Iulianus, *Huius Pæni Disputatoris monumenta intelliguntùr ægerrimè, exponuntur difficillimè.*

l. 1. operis inchoati cap. 6.

Enchir. cap. 100. *Quantum igitur ad ipsos attinet; quod Deus noluit fecerunt. Quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso, quòd contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius. Ita vt miro, & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem.* Nam *qui voluntatem Dei spreuerunt inuitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem.*

S. Prosp. Obiect. 16. Vincent.

# CAPVT VII.

## *Confirmatur illa Dei beneuolentia, erga reprobos.*

SI quis Deum induceret alloquentem Dæmonas ac homines damnatos, eósque inuitantem ad ſalutem, quos tamen ineluctabili ſententia æternæ morti adiudicauit; quis vel ex Aduerſariis hominem ferret? Eſſet autem intolerabilis hæc ſententia, quia ſicut ex parte noſtra, *irriſoria eſſet petitio, & gratiarum actio*, ſi vel peteremus à Deo, quod ſciremus ipſum dare nolle, aut ſi ob hoc ei gratias ageremus, quod ipſe præſtare noluiſſet: Sic ex parte Dei, ſi ab inferis eos ad ſe vocaret, quos inde nolit educere, nónne illuſoria eſſet inuitatio, qua quem non haberet, animum ſimularet? *l. de dono perſ. c. 2.*

Quid autem aliud agunt, qui ſic Dæmonibus aſſimilant perituros omnes, vt non magis hos, quàm alios velit Deus ſaluos fieri; & tamen quos ad ſe venire non vult, tam frequenter in ſpeciem inuitet? Ille tantus veritatis amator,

ſynceritatis protector, ſimulationis oſor, meliùs ſapiebat, cùm alteri Doctori maximo, neſcio quam *ſimulationem diſpenſatiuam*, in ſacris literis agnoſcenti, tam ex animo contradiceret. Mitiori etiam lingua loquebatur, cùm Dei benignitatem erga perituros ita commendaret, *Ille Deo perire dicitur, quiſquis ab illa beatitudine, quam dat ſanctis ſuis, per ſupplicium ſeparatur.* Non perit vtique Dei iuſtitiæ punienti; ergo miſericordiæ ad veniam procliui; miſericordiæ toties oblatæ, toties reiectæ, vt aliud nihil præter eius repulſam vindicet iuſtitia, quia *magna eſt eius ſeueritas poſt iudicium, cuius ante iudicium ineffabilis miſericordia prærogata eſt*, etiam ſtultis & excluſis virginibus, quarum illic mentio.

Epiſt.19. poſt med.

tract.89. in Ioan. ſub fin.

l.83. qq. q.59. ſub fin.

Et quidem tanta perituris adhuc viatoribus miſericordia prætenditur, vt vel deſperatiſſimos inuitet, iuuet & patienter ad reditum exſpectet,

*Dans ſpatium, vt pereant crimina, non homines.*

S. Proſp. in epigram.

*Deus miſericordiſſimus, & ſuper impios homines patiens eſt, & præbet eis pænitentiæ atque correctionis locum. Nam & quod om-*

l. de catech. rudib. c.19. poſt p.

*nes diluuio deleuit, excepto vno iusto cum suis, nouerat quidem, quòd non se correcturi essent; verumtamen, cùm per centum annos Arca fabricata est, prædicabatur vtique eis ira Dei ventura super eos; vt, si conuerterentur ad Dominum, parceret eis, sicut & pepercit postea Niniuitis.* Nimirum vt initio Cainum, sic eius deinde posteros exspectauit ad veniam; qui tamen, quia venire noluerunt, submersi sunt omnes, superstite Sethi progenie humani postea generis propagatrice. S. A. l. 15. de Ciuit. cap. 10.

Hanc in sustinendis peccatoribus patiētiam commemorat Propheta. *Exspectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Isai. 5. Nimirum *exspectauit inde fructum, & inuenit peccatum.* S. Aug. in Psal. 79. med. Hunc verò fructum, audi, quàm ex corde solicitus humani cordis cultor exspectet. *Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum Præpositi constituti sunt in Ecclesiis, vt non parcant, obiurgando peccata.* L. 1. de Ciuit. cap. 9. An, quæso, pereūtem liberare noluit, qui pereuntis animam de manu præpositi indulgentioris requirit? An vulnus lethiferum curare noluit, qui nec misericordiâ, nec insti-

ἀμετάπτωτος, proindéque incompatibilis cum infallibili præscientia, qua prænouerat voluntariam propudiosi capitis malignitatem. Vnde S. Aug. enarrans
Psal. 40. illud, etenim homo *pacis meæ, in quo speraui*, vult illud à Christo dictum esse non in persona capitis, sed Membrorum, quæ cum Pseudo-apostolum inter veros Discipulos viderent, de illo bona sperabant, quia animum eius, & exitum ignorabant. *Quomodo in illum sperauit, nisi quia in membris suis ipse est, & quod multi fideles de Iuda sperauerunt, hoc in se transfigurauit Dominus?* A sancto iam tum sibi probè noto non dissentit S. Hieronymus, qui Marcioni quærenti, cur Iudam Christus elegerit, cùm sciret eum miserè periturum, respondit, quia
l. 3. aduers. Pelag. post. p. *tantæ bonitatis est, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum; dans ei potestatem conuersionis, & pœnitentiæ iuxta illum sensum Apostoli; ignoras, quia benignitas Dei*
Rom. 2. *ad pœnitentiam te adducit?* Deinde sub finem libri vsque adeò S. Presbyter S. Episcopum de diuina Gratia disputantem extollit, vt ibi famosus censor sub-
Erasm. diderit, *nusquam de Augustino locutum*

*esse honorificentiùs Hieronymum, quàm hoc loco.*

## CAPVT VI.

### *An Deus velit reprobos omnes saluos fieri.*

QVOD de duobus illis perditorum Coryphæis, docuit S. Aug. idem potiori iure docebit de aliis. Ac primò quidem, quotquot pereunt, perire contra voluntatem Dei optantis eorum salutem frequentissimè testatur. Insignis inter alia locus exstat *l. 3. de spi. & lit. c. 33* in libro de spiritu & litera, vbi disputando de prima, & pia illa voluntate credendi, & eius origine, an sit vel à nobis, vel à Deo, hæc habet. *Vult Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vtentes iustissimè iudicentur. Quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt*, voluntatem scilicet illam saluandi omnes, vt proximè ex Apostolo præfatus erat, *Cùm eius*

*Euangelio non credunt: nec ideò tamen eam vincunt, verùm seipsos fraudant magno, & summo bono, malisque pœnalibus implicant; experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper inuicta est; vinceretur autem, si non inueniret, quid de contemptoribus faceret, aut nullo modo possent euadere, quod de talibus ille constituit. Qui enim dicit, verbi gratia; volo, vt hi omnes serui mei operentur in vinea, & post laborem requiescentes epulentur, ita vt, quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molant. Videtur quidem quicunque contempserit, contra voluntatem Domini sui facere*; id est, vt confestim subdit, videtur eam vincere, *sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens effugerit. Quod nullo modo fieri potest sub Dei potestate.* Cùm ergo vult paterfamilias, vt serui post laborem requiescant & epulentur: Sin minus, vt alij trusatilem, alij asinariam molam circumagant; quis neget, quin ille primum ex animo velit, aut etiam multò malit, quàm alterum? Aut à pari post S. Aug. arguendo, quis neget; quin Deus salutem hominum multò malit, quàm perditionem? Ex qua

doctrina

doctrina de reprobis infidelibus colligere est, quid senserit de aliis, fidelibus quidem aut etiam iustificatis, sed ad tempus, quia non electis.

Hunc locum vt subnectant, aut supino lectori suspectum efficiant, inter alia causantur opinionem hanc esse ex earum numero, quibus ille nondum Episcopus Semi-pelagianus postmodum nascituros præformauerat. Addunt ex ipsius S. Aug. testimonio totum illud caput, quo continetur locus citatus in *disputatione* versari. Vnde colligunt prolixam illam capitis allati deductionem non esse assertionem, sed disputationem. Quod vtrum ex mente S. August. dicatur, iudex sedeat præ cæteris sanctus ipse, qui quamuis aliàs circa primum actum fidei, & credendi voluntatem idem senserit, quod postea Massilienses; in hoc tamen sensu non perstitit post Episcopatum, si credimus ipsi hoc in vltimis asserenti. Si fidem habemus, & S. Prospero fusè, & pereleganter eandem veritatem contra Genuenses tuenti. Iam dudum autem Episcopus erat, iam Donatistas post anteriores hæreticos profligauerat, iam libros tres contra

*Ians. l. 8. de hær. Pelag. c. 15. & l. 2. de Grat. Chr. c. 30.*

*l. de præd. SS. c. 3.*

*dub. 3.*

Pelagianos in lucem emiserat, cùm addidit & quartum illum de spiritu & litera, in quo, vt fatetur alibi iam grandæuus Episcopus, *acriter disputauit contra inimicos Gratiæ Dei.* Ecce tibi *disputationem*, cuius nomine vides, an neget assertionem. Certè S. Prosper πολεμικὰς, S. viri disceptationes, & victorias, quibus non est vllum opus eius magis decretorium, magis palmarium, non alio frequentiori nomine, quàm *disputationum* indigitat, & inter tot titulos, quibus sancti Patris meritum vbique commendare solet, vocat illum *disputatorem admirabilem.* Subterfugium ergo quærere super hoc *disputandi* verbo, quid est aliud, quàm nodum in scirpo quærere?

*l. 2. retr. cap. 37.*

*præf. ad cap. Gall.*

*Ad dub. 8. Genuens.*

Sed, ne mora in vno loco videatur aliorum inopiam præ se ferre, videamus quàm ex sua mente, quámve alienus à semipelagianis hoc pronuntiarit. Iam de illis certior factus erat per literas SS. Prosperi & Hilarij. Iam hæreticis illis non modò non fauebat, sed & acriter resistebat, cùm cygneam illam vocem emisit loquendo de reprobis, *Est in malorum potestate peccare. Vt autem peccando hoc vel hoc illâ malitiâ faciant, non*

*l. de prædest. SS. c. 16.*

*eſt in eorum poteſtate, ſed Dei diuidentis tenebras & ordinantis eas; vt hinc etiam, quòd faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur, niſi Voluntas Dei.* Quod ipſum ad ſe reſcriptum ab eo poſtmodum è vita deceſſuro iiſdem terminis exſcripſit fidelis ille Diſcipulus, qui contra Genuenſes, ſuper hoc conqueſtos ſuum defendit & Magiſtrum, & Patrem iam tum μακαρείτην. Faciunt ergo contra voluntatem Dei volentis non eorum mortem, vt ait Deus ipſe apud Prophetam, ſed vitam & ſalutem; intendentis finem hunc; eligentis media ad eum obtinendum, putà mandatorum cuſtodiam; nolentis interiectum obicis, putà præcepti tranſgreſſionem. Et tamen non *impletur, niſi voluntas Dei*, pro ſua iuſtitia punientis, quos miſericordiâ viderit abuti maluiſſe. In quo ſemper eſt & benignus, quia neminem perdit, niſi perire volentem, & æquus, quia non niſi ſontes voluntarios condemnat; nec illud quidem faceret, niſi malis noſtris bene vti noſſet. Quò facit etiam tam frequens, & obuia commendatio diuinæ in omnes longanimitatis μακροθυμίας. Vnde D. Petrus appoſitè ad rem præſentem,

*S. Prosper. dub. 8.*

*Ezech. 33.*

*Ep. 2. c. 3.*

Epist. 2. cap. 3. & ad hæc tempora. *Domini nostri Iesu Christi longanimitatem, salutem arbitremini. Sicut & carissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis. Sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Quod expertum etiam esse S. Aug. quis nescit? Inter alios de tanto viro sic obloquitur Iulianus, *Huius Pœni Disputatoris monumenta intelliguntùr ægerrimè, exponuntur difficillimè.*

l. 1. operis inchoati cap. 6.

Enchir. cap. 100. *Quantum igitur ad ipsos attinet; quod Deus noluit fecerunt. Quantùm verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso, quòd contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius. Ita vt miro, & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem.* Nam *qui voluntatem Dei spreuerunt inuitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem.*

S. Prosp. Obiect. 16. Vincent.

# CAPVT VII.

## *Confirmatur illa Dei beneuolentia, erga reprobos.*

SI quis Deum induceret alloquentem Dæmonas ac homines damnatos, eósque inuitantem ad salutem, quos tamen ineluctabili sententia æternæ morti adiudicauit; quis vel ex Aduersariis hominem ferret? Esset autem intolerabilis hæc sententia, quia sicut ex parte nostra, *irrisoria esset petitio, & gratiarum actio*, si vel peteremus à Deo, quod sciremus ipsum dare nolle, aut si ob hoc ei gratias ageremus, quod ipse præstare noluisset: Sic ex parte Dei, si ab inferis eos ad se vocaret, quos inde nolit educere, nónne illusoria esset inuitatio, qua quem non haberet, animum simularet? *l. de dono pers. c. 2.*

Quid autem aliud agunt, qui sic Dæmonibus assimilant perituros omnes, vt non magis hos, quàm alios velit Deus saluos fieri; & tamen quos ad se venire non vult, tam frequenter in speciem inuitet? Ille tantus veritatis amator,

*nes diluuio deleuit, excepto vno iusto cum suis, nouerat quidem, quòd non se correcturi essent; verumtamen, cùm per centum annos Arca fabricata est, prædicabatur vtique eis ira Dei ventura super eos; vt, si conuerterentur ad Dominum, parceret eis, sicut & pepercit postea Niniuitis.* Nimirum vt initio Cainum, sic eius deinde posteros exspectauit ad veniam; qui tamen, quia venire noluerunt, submersi sunt omnes, superstite Sethi progenie humani postea generis propagatrice. *S. A. L. 15. de Ciuit. cap. 10.*

Hanc in sustinendis peccatoribus patiētiam commemorat Propheta: *Exspectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Nimirum *exspectauit inde fructum, & inuenit peccatum.* Hunc verò fructum, audi, quàm ex corde solicitus humani cordis cultor exspectet. *Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum Præpositi constituti sunt in Ecclesiis, vt non parcant, obiurgando peccata.* An, quæso, pereũtem liberare noluit, qui pereuntis animam de manu præpositi indulgentioris requirit? An vulnus lethiferum curare noluit, qui nec misericordiâ, nec iusti- *Isai. 5.* *S. Aug. in Psal. 79. med.* *l. 1. de Ciuit. cap. 9.*

tiâ hîc vtitur, nisi vt omnibus medeatur? *Quidquid diuinitus ante vltimum illud iudicium vindicatur, siue per improbos, siue per iustos; siue per nescientes, siue per scientes; siue occultè, siue palam, non ad interitum hominum, sed ad medicinam valere credendum est, quam qui respuerint æterno supplicio præparantur.* Medicina sanè iis offertur, à quibus respuitur. Vnde Pelagianis dicentibus, *posse Deum omnia sanare*, ita respondet, *hoc vtique agit, vt sanet omnia; sed agit iudicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto.* Vbi cùm illi vniuersaliter loquerentur de natura humana, quam in omnibus vellent esse sanam, etiam in hoc statu corruptionis, vt docet vel ipsa lectio; aut non respondet, aut, dum replicat, *quidquid agit Deus, hoc vtique agere, vt sanet omnia*, loquitur generatim de omnibus. Nam *omnipotenti Medico nihil est insanabile, non renuntiat alicui. Opus est, vt tu curari velis. Opus est, vt manus eius non refugias. Sed &, si nolis curari vulnus tuum, admonet vt cureris; & aduersum reuocat, & refugientem quodammodo ad se redire compellit & attrahit. In omnibus implet, quod dictũ est misericordia eius præueniet me.* Hoc

*l. contra epist. fundam. c. 1.*

*l. de Nat. & Grat. cap. 27.*

*In Ps. 68. sub fin.*

*Psalm. 58.*

*in omnibus implet*, etiam in perditis, erga quos ſuprà dixerat Deum eſſe *miſericordiſſimum*; miſericordiam eius in illos eoſdem *ineffabilem* eſſe; *perire Deo, quicunque perit.* Quò pertinet etiam illud comminatorium malis, bonis conſolatorium. *Quantum diligat credentes, & ſperantes in ſe, & illum atque inuicem diligentes, & quid eis in poſterum ſeruet; hinc maximè oſtendit, cùm infidelibus & deſperatis, quibus in mala voluntate vſque in finem perſeuerantibus ignem cum Diabolo æternum minatur, in hoc tamen ſæculo bona tanta largitur; inter quæ illud magnum, quòd exemplis interpoſitarum tribulationum, quas huius ſæculi dulcedini, tanquam bonus medicus, miſcet; admonet eos, ſi attendere velint, fugere ab ira ventura.* *l. de cath. rud. c. 19.* *l. 83. qq. q. 59. tr. 89. in Ioan. ſub fin. Epiſt. 87.*

Sunt & alia ſexcenta, quibus ſcatere ſcimus non ſolùm omnes eius libros, ſed & vtrumque teſtamentum. Ideóque alicubi, cùm Dei patientiam in omnes ſuſpexiſſet, in eúmque finem laudaſſet illud Sapientis. *Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt omnia, qui animas amas*; paucis interpoſitis, inducit Chriſtum dicentem Petro, *non ſolùm ſepties, ſed & ſeptuageſies ſepties*; inducit & Deum ip- *l. contra Adim. c. 7.* *Sap. 11.* *Matth. 18.*

Ezech. 33. ſum dicentem, *nolo mortem impij, ſed vt conuertatur.* Poſtea concludit; *Ex quo facilè apparet, & in ea patientia, quæ inuitat ad pœnitentiam; & in ea indulgentia, quæ ignoſcit pœnitentibus; & in ea iuſtitia, quæ punit eos, qui corrigi nolunt, vtrumque teſtamentum conuenire atque congruere.* Sic ille contra Manichæos.

Ad id verò quod aliqui prætexunt non hîc agendum eſſe, niſi ſcriptis Pelagianos ex profeſſo impugnantibus; alios autem in hac cauſa negligendos, præſertim in quibus diſputatur aduerſus Manichæos multò anteriores: eodem aut potiori iure, ídque ſine vllius offenſione, nec ſine veritate reponere nobis licebit, eos in hoc videri Manichæorum, quos commemorant, æmulatores; quòd ſicut illi totum vetus teſtamentum reſpuebant; è nouo verò, quidquid ipſis non fauebat, tradebant; l. de don. perſ. c. 11. *Manichæi non ſolùm veteris teſtamenti ſcripturas in vlla auctoritate non habent; verùm etiam, quæ ad nouum pertinent teſtamentum, ſic accipiunt, vt ſuo quodam priuilegio, quod volunt, ſumant; quod volunt, reiiciant.* Sic iſti reſpuunt, & Concilia & Patres omnes Auguſtino ſupe-

riores; eius autem operibus vix acquieſcunt, niſi poſt ortum Pelagianorum editis. Quaſi verò ex eo quòd antea cæteri Patιes, *de gratia Dei quid ſentirent, breuiter & tranſeunter attigerint immorati in eis, quæ aduerſus alios inimicos Eccleſiæ diſputabant*, continuò ſequatur nuſquam eos audiendos eſſe, ne S. quιdem Cyprianum, cui cum honore S. Auguſt. perhibet hoc teſtimonium. *Videte ante quot annos contra ea, quæ futura erant, Pelagianorum venena, quale ſit antidotum præparatum.* Et paulò poſt ait tanta cum perſpicuitate ac virtute de diuina gratia diſſeruiſſe, *vt illi inimici gratiæ Chriſti longè ante reperiantur conuicti, quàm nati.* Quod idem poſtea refert in fauorem aliorum; in primis SS. Gregorij illius Theologi in Eccleſia Græca, & Ambroſij in Latina; & ſui ipſius dicendo ſe aliàs in ætate præcociori docuiſſe, quod in maturiori cõfirmabat; nam *poſtea diligentiùs & operoſiùs, cùm iam contra Pelagianos de gratia diſputaremus, eam defendere neceſſitas compulit.*

*l. de præd. ſeſſ. c.14.*

*l. de dono perſ. c.2.*

*Ibid. c.19.*

*Ibid. c.20.*

Neque verò procedunt aliter Aduerſarij, dum ingentem illam teſtimoniorum nubem, quâ ſe protegunt, conuo-

cant non solùm ex monumentis S. Aug. Iunioris, senioris; cuius percurrunt gradus omnes, & ætatis & conditionis: Sed & aliorum Patrum, & Doctorum, qui quandocunque, vbicunque & quomodocunque eorum fortè causæ fauerint, ab iis laudantur, & elogiis cumulantur.

Quæ tamen eò dicta velim, vt ius nostrum obiter proferamus, non quòd aliarum S. Patris iam senioris auctoritatum indigentiâ laboremus; nec enim ignoramus, quod suprà notatum est, assertionem hanc sempiternæ veritatis c. 100. c. 3. tum in *Enchiridio*, tum in libro *de prædestinatione sanctorum*, veluti tabellis testamentariis consignatam esse; cùm vtrobique & alibi passim ab eo dicantur homines, *contra voluntatem Dei perire*, &, *Deo perire*. Si quis tamen adhuc de manifesta certáque veritate seu dubius, seu contentiosus esse volet; Arbitri damus optionem. Et quia nec huius causæ peritiorem, nec ambabus Partibus optabiliorem esse video, quàm S. Prosperum, audiamus quid sentiat.

## CAPVT VIII.

### *Sententia S. Prosperi circa generalem illam Dei voluntatem.*

LIBROS de *vocatione gentium*, quorum semper capita citamus iuxta diuisionem exstantem in operibus Ambrosianis, sic auspicatur. *Inter defensores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ Dei, magna & difficilis dudum vertitur quæstio. Quæritur enim, vtrum velit Deus omnes homines saluos fieri. Et quia negari hæc non potest, cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur.*

Hoc autem meritò venit in quæstionem, quandoquidem tam multi pereunt, quos ipse liberari vellet; vt posteà repetit addens rem esse fide certam. *Ne illa pars fidei, qua piè credimus Deum velle, vt omnes homines veritatis agnitione saluentur, per hoc, quod de effectibus gratiæ euidenter ostenditur, infirmata videatur: annitendum est, auxiliante Christo, vt nobis stabilitas huius definitionis appareat.* S. Prosp. l.1.c.9 f. Quod deinde libro sequenti in hunc

l. 2.c.1.p. modum prosequitur. *Confitendum est altitudinem iudiciorum Dei humanæ intelligentiæ penetrabilem esse non posse; & cur non omnes saluet, qui omnes vult saluos fieri, non oportere disquiri.* Et post multa c. 7. s. vltrò citróque disputata. *Illud, quod de bonitate Dei pijssimè creditur, quia omnes homines velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non oportet nisi perpetuum æternúmque sentiri secundùm eas mensuras, quibus Deus dona generalia specialibus nouit cumulare muneribus.* Vbi, cùm loquatur de salute comparanda, dona certè naturalis ordinis non intellexerit, cùm hæc, seorsum à gratiâ, salutaria esse nequeant. Vnde post multa præclarè dicta de generali specialíque Dei mic. 8. s. sericordia, *Deo placuit & hanc* specialem *multis tribuere, & illam* generalem *à nemine submouere; vt ex vtráque appareat non negatum vniuersitati, quod collatum est portioni: sed in alijs præualuisse gratiam* specialem, *in alijs resiliisse naturam* gratiæ generali refragatam.

In ijs verò sententijs, quas attexuit ad soluta Gallorum capitula, attende Append. ad c. 8. quid subiungit. *Qui dicit, quòd non omnes homines velit Deus saluos fieri, sed cer-*

*tum numerum prædestinatorum*, *duriùs loquitur*, *quàm loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult saluos fieri*, *& voluntatis suæ propositum implet in ijs*, *quos præscitos prædestinauit.* Hæc ergo Dei voluntas respicit omnes, sed non impletur in omnibus; hoc tamen generale complementum optat ex parte sui. Nam *Dei voluntas est*, *Vt in bona voluntate maneatur*, *qui & prius*, *quàm deseratur, neminem deserit*, *& multos desertores sæpe conuertit* actu, cùm omnes velit affectu. Ideóque in libello sententiarum capite de flagello. *Quando corripit Deus genus humanum*, *& flagellis piæ castigationis exagitat, exercet ante iudicium disciplinam*, *& plerumque diligit, quem flagellat; nolens inuenire quem damnet. Flagellat autem simul & iustos & iniustos.* Cùm ait, qui flagellatur, *plerumque* diligi; quâ particulâ tacitè negat omnia flagella manu paternâ & emendatrice semper incuti; excipit hocce genus verberum, quo diuina iustitia plectit interdum homines deploratæ salutis. Quales sunt non tantùm extra viam damnati, sed & aliqui adhuc viatores, quos inter censetur in primis

*Ad obiect. 7 Vincent.*

*c. 174.*

Pharao, saltem quo tempore submersus est.

Hanc porrò generalem Dei voluntatem adeò sollicitam, adeò omnium amantem esse prædicat, vt ab vtero ad tumulum vsque præstò sit omnibus. *Cùm quærimus, quomodo omnes homines saluos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sint capaces, non irreligiosè arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus: quâ vtique si benè eorum vterentur parentes, etiam ipsi per eosdem iuuarentur. Omnium namque exordia paruulorum, tótque illa principia necdum rationalis infantiæ, sub arbitrio iacent voluntatis alienæ.* Et continuò. *Sicut autem circa maiores, præter illam generalem gratiam parciùs atque occultiùs omnium hominum corda pulsantem; excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exercitur; ita etiam circa innumeros paruulos eadem manifestatur electio; quæ quidem nec illis, qui renati non sunt, in parentibus defuit; sed iis, qui renati sunt, præ parentibus adfuit:*

*l.2. de voc. gent. c. 8. med.*

*adfuit; ità vt multis ſæpe, quos ſuorum impietas deſeruit, alienorum cura ſeruierit. In quo opere gratiæ quis niſi arrogantiſsimus atque vaniſsimus de diuina iuſtitia conqueratur, quòd non omnibus paruulis ſimilis prouidentia conſulat, omniáque pericula, quæ moriturorum regenerationem prohibere poſſunt, aut poteſtate ſubmoueat; aut miſeratione præueniat?*

Ex his efficitur duplicem, vt adultis, ſic & paruulis gratiam eſſe præparatam; alteram, qua multi reipſa perueniant ad ſacramentum regenerationis; alteram qua peruenire poſſent omnes alij; cùm ea nunquam iis deſit, ſaltem mediatè & interuentu parentum, quorum ſub arbitrio, occultas ob cauſas, ſed tamen iuſtas, eorum ſalutem Deus iacere voluit; quíque ſi moraliter, vt homines decet, viuere ſtuderent; ille, qui non niſi propter ſemetipſum perfruendum infantes quotidiè procreat, eorum omnium ſaluti prouideret; vel iis inſtitutum à ſe remedium extraordinariis modis applicando, aut aliter ſua benignitate & potentia remedij defectum ſupplendo. Illi enim cordi eſt omnium ſalus; ideóque & ſub hac lege gratiæ iu-

bentur omnes indiſcriminatim baptizari, quótque & diebus baptiſmo ſanctificantur innumeri poſtmodùm propter propria peccata reprobandi. Idem in Circumciſione ſub lege Moſaica: Idem contigiſſe non dubitamus in Sacramento ante legem inſtituto. *Neque enim credendum eſt ante datam circumciſionem famulos Dei nullo Sacramento mediatoris opitulatos fuiſſe paruulis ſuis.*

*l. 5. contra Iul. c. 9.*

Ex quo ritu ſacro ſuam profanus traxit originem. Nam inde Luſtrici dies infantium apud Latinos. Inde apud Græcos ἀμφιδρομία. Apud vtroſque nominalia, quorum inter alios meminit Ariſtoteles, poſt eumque Iulius Capitolinus in vita Clodij Albini.

*l. 7. hiſt. c. 12.*

## CAPVT IX.

### *De aduentu Christi propter reprobos.*

*Epiſt. 83. ad Ocean.*

ABNVENTIBVS reſpondet crudè quidem, ſed verè S. Hieronymus. *Mentitur Ioannes Baptiſta & digito Chriſtum & voces demonſtrans; Ecce Agnus Dei, ecce qui*

*tollit peccata Mundi, si sunt adhuc in seculo, quorum Christus peccata non tulerit.* Hac de re non dubitabat S. Petrus dicens, *In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui eruit eos, Dominum negant; superducentes sibi celerem perditionem.* Christus igitur eruit eos, qui suâ culpâ pereunt. Non dubitabat etiam S. Paulus, cùm fratribus in vniuersum hæc mandaret. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et, *peribit infirmus in tuâ scientiâ, frater, propter quem Christus mortuus est.* Ergo pro perituris mortuus est Christus.

*Ep. 2. c. 2.*

*Rom. 14.*

*1. Corinth. 8.*

Sed quoniam isti non tantùm aliorum Patrum auctoritati, sed ne scripturæ quidem hîc credendum autumant, nisi testimonio S. Aug. suffultæ; ille idē in eandem sententiam citat prædicta loca, non solùm in libro de *Moribus Manichæorum*, verùm etiam alibi, & nominatim libro de corruptione & gratiâ. Et alio loco scribens de fugâ persecutionis; *Veniet lupus, non homo, sed Diabolus, qui plerunque fideles apostatas esse persuasit;* &, Pastore fugiente, *peribit infirmus, propter quem Christus mortuus est.* Si

*to. 1. c. 14.*

*cap. 15.*

*Ep. 180. med.*

pro perituro Christus non est mortuus, quomodo peribit, pro quo Christus est mortuus? Aut si de eo timendum non est, pro quo Christus mortuus est, cùm salus eius in tuto esse supponatur, cur de oue sua periclitante, *adeò dolet, adeò timet, ne inter linguas maledicorum deficiat, & pereat infirmus, propter quem Christus mortuus est?*

Epist.137. sub fin.

Eodem spiritu ferebatur, cùm S. Hieronymum, & Ruffinum Presbyterum Aquileiensem, quos, spectatore toto Orbe, inuicem inter se commiserat animorum dissensio, *flens rogat, ne litigare pergant, & sibi ipsis aliisque nocere; maximè infirmis, pro quibus Christus mortuus est; qui eos tanquam in theatro vitæ huius cum magno sui periculo spectabant.* Idem animus stylum acuerat Apostolicum contra Galatas miserè pereuntes. *O insensati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est*, aut vt legit S. Aug. *proscriptus* est, προεγράφη, *id est, quibus videntibus, Christus Iesus hæreditatem possessionèmque suam omisit. His vtique*, Pseudochristis, *auferentibus eam, Dominúmque inde expellentibus; qui ex gratia fidei, per quam Christus possidet Gentes ad legis ope-*

Epist.15. sub med.

cap.3.

Ibid.

*ra eos, qui crediderant, reuocabant, Christo auferendo possessionem suam, id est, eos, in quibus iure gratiæ fideique inhabitabat. Addidit, crucifixus, Vt hinc eos moneret, cùm considerarent, quo pretio emerit possessionem, quam in eis amittebat; ne parum esset gratis eum mortuum, quod superiùs dixerat. Illud enim ita sonat, tanquam non peruenerit ad possessionem, pro qua sanguinem dedit.*

*Eadem Veritas expressit hanc vocem ex eius ore. Vide, quanto emit; & sic videbis, quid emit. Vide quanti, & videbis quid.* *In Ps. 147. post princ.* Vbi ex valore pretij rem emptam pensando, nônne parcior esset tam pretiosi sanguinis pensitator, si tam paucorum dũtaxat redemptione pretium tantum perpẽderet? Quamuis igitur ibi Donatistas perstringat negant, pro alia orbis parte, quàm pro sua, Christũ esse mortuum, & ex pretio diuini sanguinis ac summatim συλλογιστικῶς, computet illum esse profusum totius mundi causa, ex quo suos electos vndique collegerit; non negat tamen, quin, licet omnes quoad executionem non redimantur, quia redemptionem suam negligunt, omnes tamen quoad intentionem re-

dempti sint. Imò sæpe sæpius hoc de omnibus generatim inculcat. Sint hæretici, vt Donatistæ, quos omnes ita compellat. *Vos oues Christi estis; characterem dominicum portatis, in sacramento,* baptismi, *quod accepistis; sed erratis, & peritis.* Pereunt igitur oues Christi. Sint Rogatistæ Donatistarum fragmina, quos similiter incusat, quòd *sibi diuidere, quod Christus emit venditus, auderent.* Emit ergo Christus & illam reproborum portionem. Sint Arriani Christi diuisores, de quibus hæc exstat Domini expostulatio. *Sanguinem meum fudi; animam meam posui, vt mihi coniungerem te, & tu diuidis me?* Sint Iudæi, quorum incredulitas infamatur; quia *non crediderunt in Christum, qui propterea venit, vt credatur in ipsum.* Vt credatur primùm ab ipsis, ad quos & propter quos primum venit, etiam incredulos, ideóque subdit, *hoc peccatum; si Christus non venisset, non vique haberent.* Et erudiendo Catechumenos de symbolo fidei, Iudæos sic alloquitur. *Videtis vulnera, quæ inflixistis? agnoscitis latus, quod pupugistis? Per vos & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Sint Ethnici dam-

*Epist. 204. post p.*

*Epist. 48. ante med.*

*l. de 5. hæres. cap. 6. med.*

*tract. 89. in Ioan.*

*tom. 9. l. 2. cap. 8.*

nabiliores vel ipso Porphyrio, qui roganti, vbinam esset vniuersalis via non huius tantùm aut illius, sed omnis animæ liberandæ respondet S. Aug. conformiter putà ad quæsitum illius, Christum esse viam illam vniuersalem, quam inuestigabat, *quæque nunquam generi defuit humano*; ne illi quidem transfugarum propudio, si tamen ille est; aliàs ei non satisfaceret potenti viam, quæ nemini ante non patuisset, hodiéque nemini non pateret. Sint parricidæ Caino tetriores, de quo S. Prosper inter alia sic habet. *Nunquid ambiguum est voluisse Deum, &, quantum sufficiebat, egisse, vt resipisceret?* Sint τεονθόνοι, Iuda truculentiores, qui Deum vendidit, *à quo redemptus est.* Sint quodcunque volueris; nam iudex omnium nullius iudex erit, cuius Redemptor non sit. *Totum iudicabit, quia pro toto pretium dedit.* Id est, Christi iurisdictio non latiùs erga genus humanum patet, quàm redemptio; quia mortalium neminem iudicaturus est, quem ante liberare noluerit. Iudicabit autem non solùm Donatistas, quibuscum illic controuersatur; sed quidquid est vbique gentium. Nec inter omnes,

*l.10. de Ciu.c.32.*

*l.2. de voc. Gent.c.4.*

*S.August. in Ps.68. sub fin.*

*In Psal.95. fin.*

vel vnum morti adiudicabit, pro quo mortuus non fuerit, qui mortuus est pro omnibus, quotquot mortui sunt. Adeò *inuicta est hæc Apostoli conclusio, si vnus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui* 2. Cor. 5. *sunt:* quemadmodum *cum Apostolo*, contra Iulianum argumentatur S. Aug. in eo opere, quod ætate iam affecta aduer- l. 1. cap. 62. sus eum inchoauerat. Vbi, vt specialiter conficiat mortuos esse, & paruulos iam ex origine prima, id quod negabant Pelagiani, citat Apostolum generaliter concludentem ex eo, quod vnus pro omnibus mortuus sit, omnes homines esse mortuos. Quòd si antecedens illud apostolicum, quo S. Aug. vtitur, sicut ex istorum sensu, sic ex illius mente restringeretur ad solos Prædestinatos, consequens esset nullos esse in Adamo mortuos, præter Electos; hoc sensu, mortuus est Christus pro quibusdam; ergo mortui sunt aliqui. Cùm igitur ex hoc antecedente, *mortuus est Christus pro omnibus*, legitimè concludat vterque, omnes, & consequenter paruulos, qui numerantur inter omnes, esse mortuos; antecedens illud vsurpauerit iuxta totam latitudinem, quâ vult patere con-

sequens. Itaque Christus mortuus est pro omnibus, quotquot sunt mortui. Vnde ex illo Domini dicto, *non misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*, ita cōcludit: *Ergo, quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici obseruare non vult. Quare saluator dictus est mundi, nisi vt saluet mundum; non vt iudicet mundum? Saluari non vis ab ipso? Ex te ipso iudicaberis.* Ioan.3. tract.12.in Ioan.sub fin.

*Ineffabilis est ergo clementia Saluatoris, qui non vult perire quenquam, nec delectatur mortibus peccatorum; sed vt conuertantur & viuant.* Quæ sunt verba S. Hieronymi, quem hæc potissimùm controuersia S. Augustino concordem & consonum effecit. Vnde alio loco sic ei simul & Alipio gratulatur epistola ad vtrumque indiuiduè scripta. *Testem inuoco Deum, quod, si posset fieri, assumptis alis columbæ, vestris amplexibus implicarer, semper quidem pro merito virtutum vestrarum, sed nunc maximè, quia, cooperatoribus & auctoribus vobis, hæresis Celestiana iugulata est.* Et epistola proximè sequenti, *Macte virtutum, in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei* l.1. aduers. Pelag.c.5. med.

*venerantur atque suspiciunt, &, quod signum maioris gloriæ est, te omnes hæretici detestantur, & me pari persequuntur odio, vt quos gladio nequeunt, votis interficiant.* Et alibi supersedendum ait causæ Pelagianæ, quam ex toto diremisset, *Vir sanctus & eloquens Episcopus Augustinus. Aut enim eodem diceremus ex superfluo: aut si noua voluerimus dicere, à clarissimo ingenio occupata sunt meliora.* Ita sanctus ille Doctor tum longæuus, ideóque tum vnanimis S. Præsuli, vt in hac lite alterutrùm legas, vtrunque loquentem audias.

*l.3. aduersus Pelag. sub fin.*

Neque verò ab iis seiungendus magnus ille Paulinus vtrique familiarissimus. *Agamus quæ Christus iussit, vt adipiscamur, quæ Christus spepondit. Veritas illius nobis adest, illi fides nostra non desit. Omnibus vita, omnibus via, omnibus ianua est. Nemini claudit sua regna, quibus & vim permittit inferri.* Et hoc ipsum multò luculentiùs in aliis eius Discipulis videre est. S. Prosper *inter prodigiosa blasphemiarum mendacia*, quorum meminit in præfatione ad Vincentium, primatum dat obiectioni hanc imponenti calumniam S. Aug. quasi negaret Chri-

*Epist. 33. ad Alethium sub fin.*

ſtum eſſe mortuum pro omnium ſalute. Ad quod ſubitò ſic reſpondet. *Cùm propter vnam omnium naturam, & vnam omnium cauſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate ſint eruti, Redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus Princeps mundi miſſus eſt foras.* Similia prorſus ad Gallos Prouinciales ante reſcripſerat. *Nullus omnino eſt ex omnibus hominibus, cuius natura in Chriſto Domino noſtro ſuſcepta non fuerit.* Et paulò poſt. *Cùm itaque rectiſsimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: poteſt tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipſius profuit.* Hoc autem qui neget nullus eſt. Nullus etiam, qui vel inde non intelligat eſſe ferè quæſtionem de nomine; an ille propter omnes huc venerit. Nam ſi ſpectemus eius votum aut intentum; haud dubiè venit propter omnes; ſi fructum aduentus aut effectum, propter ſolos beatos. Vnde, quanquam dici poſſit, quòd Chriſtus ſit magis propriè pro his cru-

*Ad obie.1. Vincent.*

*Ad obie.1. Gall.*

cifixus, quibus crux eius ſpecialiter *pro-deſt*; illa tamen ſpecialis proprietas Redemptionis, penes ſaluatos reſtricta, non officit generali Redemptoris beneficio ac optato, quo vult omnes captiuos liberare: & quoniam hoc vult non perfunctoriè; ſubiungit ille idem S. Doctor Chriſtum *rectiſſimè*, & ſine vlla diſtinctionum obliquitate dici, & eſſe ſaluatorem eorum omnium, quorum eſt Conditor. Hoc autem niſi diceret, Aduerſarios verbo ſcriptóque publicantes à S. Auguſt. negari veritatem hanc, *quomodo mendacij blaſphemiæque*, prodigioſæ conuinceret? Cúmque non ſit *aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri*; *de quo veritas Chriſtiana non dubitat, ſiue in eis iuſtis, quos ſancta ſcriptura commemorat; ſiue in eis iuſtis, quos quidem illa non commemorat, ſed tamen fuiſſe credendi ſunt vel ante diluuium, vel inde vſque ad datam legem, vel ipſius legis tempore, non ſolùm in filiis Iſraël; ſicut fuerunt Prophetæ; ſed etiam extra eundem populum; ſicut fuit Iob*: Si negaret mortuum eſſe Chriſtum reproborum cauſa, quomodo tam aſſeueranter, ac ſuprà vidimus, defenderet neminem

*Act.4.*

*l.2.contra Pelag.& Celeſt. cap.24.*

esse mortalium, cuius salutem Deus per merita mediatoris non continuò procurare satagat?

Prospero tum concors est Fulgentius, quàm vterque parenti suo, libro contra Fastidiosum à nobis ad Arrianos perfugam. *Tantò dolui perditum, quantò magis sum cōpulsus exhorrere blasphemum; quem nouimus à via veritatis auersum, & suæ prorsus redemptionis oblitum.* Dicit redemptum, quem planè credit suæ redemptionis oblitum, proptereáque perditum. Sed quid mirum? Quandoquidem aliàs dixit redemptum fuisse & Iudam, vbi de illius desperatione locis suprà citatis expostulabat, quod sibi *redemptionis beneficium, & conuersionis ac pœnitentiæ tempus ademerit*, non redemptionem, non conuersionis gratiam omnibus exhibitam ex animo Redemptoris; de quo sic loquitur alio loco. *Si peritus est medicus noster, omnes potest infirmitates sanare: Si misericors est Deus noster, vniuersa potest peccata dimittere. Non est perfecta bonitas, à qua non omnis malitia vincitur: nec est perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis inuenitur.* Sed ne fortè causeris eum loqui magis de

cap. 1.

S. Fulgent. l. 2 de remiss. pecc. cap. 16.

Epist. 7. cap. 3.

Dei potestate; quàm voluntate, quia dicit Deum posse omnes morbos sanare, vniuersa peccata dimittere; verborum controuersias auferamus, & rem ipsam cum veritate, & absque contentione retineamus. Nam cùm ait posse Deum omnibus ignoscere, quia perfectè misericors est, quia perfectè bonus, qualis, inquit, non esset, si quid curare nollet; nónne ibi τὸ *posse* idem est, ac *velle*? Hoc sensu dicunt magnates aliqua se facere non posse, quando nolunt; posse verò, quoties volunt. *Nulla igitur ratio dubitandi est Iesum Christum Dominum nostrum pro impiis, & peccatoribus mortuum: à quorum numero si aliquis liber inuentus est, non est pro omnibus mortuus Christus. Sed prorsus pro omnibus mortuus est.* Concludit omnes esse mortuos per peccatum ex eo quòd Christus propter omnes obierit.

*S. Prosper l.2. de vocat. Gent. cap.*

Paulus Orosius, viuentibus adhuc SS. Augustino & Hieronymo, quorum fuit discipulus, mentem vtriusque sic expressit. *Hic ergo Dominus Christus, hic, inquam, filius Dei, in virtute patris & gloria, quæ in principio condidit, & redemit in medio, etiam in nouißimo iudicabit.* Tot

*l. de arbitrij libert. post med.*

ergo vult Chriſtus redimere, quot ante creauerit, quot poſtea iudicabit. *Quid ergo te beatius, qui, vt in manu tuæ vitam, ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam?* Et ſtatim. *Hoc tibi dicitur, omnis homo.* Vbi S. Aug. alloquitur omnem hominem peccati morbo laborantem, eúmque, quiſquis fuerit, ſalubri allocutione ſolatur dicens, *ſalus tua Chriſtus eſt.* Quam ſalutem omnibus ac vbique præſentiſſimam quia negligis, ita per Prophetam de ciuitate rebelli Deus conqueritur. *Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis.* Voluit ergo Dominus, quod noluit ſeruus.

In pſ. 101. ſub med.

Ezech. 24.

## CAPVT X.

### *De vocatione reproborum.*

CVM *quidam ruiſſet in puteum, vbi aqua tanta erat, vt eum magis exciperet, ne moreretur; quàm ſuffocaret, ne loqueretur; acceſſit alius, &, eo viſo, admirans ait, quomodo huc cecidiſti? At ille, obſecro, inquit, cogita quomodo hinc*

Epiſt. 29. p.

*me liberes, non quomodo huc ceciderim, quæras.* Quod ibidem concinnè paruuli in præceps ab Adamo deiectis accommodatur; alibi autem ad omnes extenditur. *Curandum magis est siue in paruulis, siue in grandibus, quo anima sanetur auxilio, quàm quo vitiata sit merito.* Nam vnum intellectu procliue est, alterum inscrutabile.

*l. 5. contra Iul. c. 3. fin.*

Inter spectatores illius massæ corruptæ turbæque præcipitis admirationi omnibus est ille omnium casus, quibusdam autem ita curæ est aliquorum salus, vt aliorum liberationem nec curent ipsi, nec curæ esse vel Deo vel mediatori patiantur: Ad hanc humanæ salutis incuriam addentes & speciem ludibrij. Nam miseros illos tot increpationum aculeis ad exitum stimulare, tot scripturæ testimoniis in eum finem excitare; cúmque post tot obiurgationes, post tot admonitiones aurem exteriùs pulsantes, & vtramque momento præterfluentes, nec ipsi nôrint, nec vllatenus possint emergere, nisi simul & corda tangantur, quæ tamen à Deo tangi negant; Idque in pœnam culpæ non tam suæ, quàm alienæ, post tot secula ad posterita-

ſteritatem dilapidatoris illius patris familias tranſmiſſæ, & pleriſque eorum quoad reatum aut culpam dimiſſæ; quid hoc tandem aliud eſt, quàm proponere nobis Deum ſimiliter erga nos ſe gerentem, ac faceret homo viator, qui alium præcipitatum in puteum increparet, hortaretur, inuitaret; nec tamen extendere manum ſupplicanti, aut opem vllam, cùm maximè poſſet, imploranti præbere vellet? Quid verò ludificari, quid irridere eſt, ſi hoc non eſt? Nónne ſatias & mitius eſſet calamitoſos illos ibi relinquere, quàm iis verba dare, tam ſæpe, tam altè in ſpeciem vocando, quos reipsâ venire nolis? Hæ ſunt haud dubiè cogitationes humanæ; à quibus niſi longiſſimè diſtarent diuinæ, quorſum vniuerſalis illa Dei miſericordia, quâ, nemine excepto, omnes ſaluare vult? Quorſum illa, quæ inde emanauit, omnium *Saluatoris benignitas & humanitas* φιλανθρωπία; Quorſum ex hac vtráque ſcaturigine perenniter & pluſquàm ſufficienter, quia *ſuperabundanter*, in omnes profuſa gratia? Primum & alterum ex ore S. Aug. ſuprà retulimus, ſequitur, vt tertium eiuſdem teſti-

*Tit. 3.*

*Rom. 5.*

monio comprobemus.

Ac primò quidem duplicem vocationem tum alibi sæpe, tum in libris re-
l. 1. c. 23. tractationum his verbis agnoscit. *Vocatio, quæ fit secundum propositum Dei, non omnium, qui vocantur, talis est.* Quòd si talis non est omnium vocatio, qui vocantur; aliqui certè alia vocatione vocantur. Vnde in eo libro, quem posteà rescripsit de prædestinatione sanctorum
cap. 16. sic habet. *Vocat Deus prædestinatos, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, vt Iudæi, quibus Christus Crucifixus scandalum est; & gentes, quibus Crucifixus stultitia est; sed ea vocatione, quam distinxit Apostolus sciens esse quandam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocatis sunt.* Præterea supponendum est magis, quàm statuendum, quod ille tam frequenter ad-
l. 15. de civ. c. 6. monet; nimirum *etiamsi Deus ipse vtens creatura sibi subdita sensus alloquatur humanos, nec interiore gratia mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis.* Nam *vbi Christi inspiratio & vnctio non est, forinsecùs inaniter perstrepunt verba.* Quod ipsum paulò post repetit. *Nisi Deus loquatur vobis intus, si-*

*ne causa nos perstrepimus.* Hoc est, inaniter & sine causa per scripturas, per legatos suos Deus quotidie nobis loquitur, si verum est, quod aiunt, nolle Deum intus iuuare, quos foris vocare non cessat.

Quòd autem prætexunt totum hoc prodesse electis inter reprobandos promiscuè, dum in via sunt, confusis, id ostendit quidem Dei bonitatem erga paucos; non prohibet tamen, quin illudatur aliis longè pluribus, perfunctoriè &, nisi iuuentur intus, inaniter vocatis; & tamē à Deo vocati non semper in turba, vbi sint prædestinati ex alienorum vocatione profectum facturi, sed sæpe nominatim & in aurem; vt suprà dictum est de Caino, de Iuda quibus promptius est socios addere, quàm numerare.

## CAPVT XI.

### *De sufficiente auxilio reproborum.*

QVos ad se Deus vocat, sufficienter iuuat; alioqui vocati non sequendo vocantem, non vsque adeò rei essent. Nam *peccati reum teneri* *tom. 6. l. de duab.*

animab. c. 12. med. *quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summa iniquitatis est & insaniæ.* Quapropter si quis reus est, quia quid non fecerit, id facere omninò potuerit. S. Prosp. l. 2. de vocat. Gent. c. 3. Quia *manifestauerunt diuinorum eloquiorum multæ auctoritates, & continua omnium seculorum experimenta docuerunt iustam Dei misericordiam misericordémque iustitiam nec alendis vmquam corporibus hominum, nec docendis iuuandísque eorum mentibus defuisse.* Quàm probè callebat fidelis discipulus mentem Doctoris optimi dicentis, & verò dicentis omnibus, cùm omnibus imponantur mandata; tr. 53. in Ioan. sub fin. *Audiamus Dominum & præcipientem & opitulantem; & iubentem quid facere debeamus, & adiuuantem, Vt implere possimus!* Quod quia facere nolunt homines diuinitùs adiuti, meritò de iis Deus l. 1. ad simplic. q. 2. post. med. *conqueritur, sicut per innumerabiles apparet scripturarum locos, quòd nolint credere & rectè viuere.* Vbi cùm reos dicit, defectu voluntatis, innuit copiam facultatis. Quare *nulla remanet excusatio.* Ep. 152. sub p. *Nimium dura, nimium diabolica sunt hominum corda, quia adhuc tantæ manifestationi veritatis obsistunt.* Quod à Concilio, cui S. Aug. interfuit, prolatum contra Dona-

tiſtas, dictum puta contra perduelles omnes & contemptores diuinæ voluntatis, humanam ſemper allicientis ad bonum, numquam cogentis, quia de nobis *cum magna reuerentia diſponentis.* Sap. 12.

Quòd autem illam vocationem, qua vocantur, qui non ſequuntur, paſſim externum vocitet, nihil obeſt. Nam etiam qui ſequuntur, vocatione externa ſæpe vocantur, quamquam non ſolâ ſicut igitur actus humani ita diuiduntur in actus merè internos, & externos, vt tamen externi ſeorſum ab internis non dicantur humani: ita vocatio diuina diuiditur in merè internam, qua Deus per ſeipſum immediatè cordi loquitur, ſiue ſuadendo ſolùm per ſufficientem, ſiue perſuadendo per efficacem; & in externam, qua per ſubiectam ſibi creaturam aures ferit: ita tamen, vt ſiue trahat, ſiue tantùm alliciat, numquam inuitet foris, quin iuuet intus: aliàs vocatio non ſolùm inanis eſſet, ſed & illuſoria.

Hanc eſſe mentem & doctrinam S. Aug. conſtat ex variis locis, & nominatim ex libro de ſpiritu & litera, vbi loquens de pia & prima voluntate cre-

ep. 34. dendi vult eam à Deo proficisci *siue extrinsecùs per Euangelicas exhortationes, & mandata legis* loquente; ecce tibi vocationem externam, sed vnà eum interiori necessaria prorsus ad concipiendam prædictam voluntatem; *siue intrinsecùs, vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem. Sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Ecce vocationem internam. De qua simul & altera continuò quærit, *cur huic homini ita suadeatur, vt persuadeatur: alij autem non ita:* quod in vtramque cadere non dubitabit, qui locum perlegerit. Hoc eodem sensu scripserat antè ad simplicianum

l.1.q.2.p. his verbis. *Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem.* Et

l.83.qq.q 68. sub med. alibi. *Nec velle quisquam potest, nisi admonitus & vocatus, siue intrinsecus vbi nullus hominum videt, siue extrinsecus per sermonem sonantem aut per aliqua signa visibilia.* Et illicò subdit aliquos alterutro ex prædictis modis vocatos venisse, *quod non debent sibi tribuere*, videlicet sibi solis: alios venire noluisse, *quod alteri tribuere non debent, sed tantùm sibi: quoniam, vt venirent vocati, erant in libera volunta-*

*te*: hoc eſt, in plena poteſtate: conſentientibus vel aduerſariis ipſis, qui fusè contendunt liberum nihil aliud eſſe, quàm quod eſt in *poteſtate noſtra.* Ex quo patet eos non feciſſe, quod erat in eorum libera voluntate & plena poteſtate. *Ianſ. l. 5. de gr. Chr. c. 3.*

Neque verò contrarium eſt, quod in libro de prædeſtinatione SS. poſteà docetur. *Cùm Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: ſed qui credunt, prædicatore forinſecùs inſonante, intùs à patre audiunt, atque diſcunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque diſcunt: hoc eſt, illis datur, vt credant, illis non datur.* Totum hoc, quod habetur etiam alibi, optime ſuprà dictis conſonat. Deus enim, qui pater & Dominus eſt, filios habet & ſeruos; filiis autem loquitur familiarius & ſecretiùs, quàm famulis, vt ait vel ipſe Chriſtus Dominus apud Ioannem. Locis ergo contra nos productis agitur de modo ſpeciali, quo pater filios ſic alloquitur, vt non ſolùm audiant, ſed & obtemperare diſcant: Ideóque S. Ioannes vocat eos *docibiles Dei*, quos anteà dixerat Iſaias *Doctos à Domino* ſecundum editionem vulgatam vtrobíque *cap. 8.* *tr. 16. in c. 6. Ioan.* *cap. 15.* *cap. 6.* *cap. 54.*

διδακτὺς θεῦ, aut vna voce, θεοδιδάκτυς, quemadmodum habes apud D. Paulum. Quæ loca in caput citatum Ioannis exponuntur de speciali filiorum institutione. Sed caritas illa patris in filios non minuit curam Domini in seruos; Cùm *multifariam multisque modis* loquatur. An electorum Deus tantùm? Nónne & aliorum? Imò & omnium; Ideóque *nullus ab interiore Dei luce secluditur, dum in hac vita est.* Vbi apertè loquitur de lumine supernaturali. *Quia tu, bone omnipotens, sic curas vnumquemque nostrum, tanquam solum cures; & sic omnes tanquam singulos.* Et, *tu, Domine, præsides gubernaculis omnium, quæ creasti.* Quibus aliísque locis agnoscendo peculiarem patris in filios ibi nominatos caritatem, extollit generalem in omnes bonitatem. Iis ergo, qui dicuntur *intus non audire*, non negatur omnis auditus interior: sed is solùm, quo reipsa discant, credant, veniant.

*1.Th.SS. c.4.* — *Hebr.1.* — *In ps 6. sub med.* — *l 3. confess.c.11.* — *Ibid. l.6.c.7.*

# CAPVT XII.

## *Confirmatur doctrina ſuperior de Gratia ſufficient.*

GRATIAM, ſine qua non poſſis, & qua cum poſſis agere, hoc eſt, ſufficientem, primis Parentibus nondum reis, & Angelis viatoribus conceſſam lumini non ſemel comparat S. Aug: Quia ſicut ſine lumine non videmus, eo verò præſente, videmus, ſi modò oculos aperire volumus; ita ſine gratia non poterant illi dignè quidquam agere, ea verò præſente, nulla difficultate poterant. Gratiam miſericorditer indultã naturæ lapſæ comparat ille idem etiam lumini. *Sicut corporis oculus non adiuuatur à luce, vt ab eadem luce clauſus auerſúſue diſcedat; vt autem videat, adiuuatur ab ea, neque hoc omnino, niſi illa adiuuerit, poteſt: Ita Deus, qui lux eſt hominis interioris, adiuuat noſtræ mentis obtutum, vt non ſecundum noſtram, ſed ſecundum eius iuſtitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo auertimur, noſtrum eſt.*

*l. de Nat. & Grat. c.48. & alibi.*

*l.2. de pecc. mer. t. & remiſſ. c.5.*

Nec in nos luminis, vnde procedit calor, comparationem cum Gratia minùs aptè quadrare censuit, quàm in Adamum, qui *sic illustrabatur ad videndum, sic accendebatur ad amandum, vt nec tenebresceret, nec frigesceret.* Nobis verò cùm ille sua culpa lumen, & ardorem illum præripuerit, &, quæ post reatum culpæ, duo sunt præcipua capita totius tantíque debiti, ignorantiam menti, & infirmitatem inseuerit voluntati; longè magis necessarium est, *aliquod adiutoriũ benè adiunctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ caritatis*; qua non velimus modò, sed & operemur: aut quoniam illud non omnium est, luminosæ saltem & flagrantis, quantum satis est præstando officio, quo tenemur. Et meritò quidem gratiam illius cum nostra componit. Quid enim accepit ille nisi naturali superiorem mentis illuminationem, & bonæ voluntatis inspirationem? Sed parum esset gratiam Adami cum nostra comparare, nisi & vtramque eodem modo definiret. Libro de correptione, & gratia toties citato, quia super hac re tanti ab illis, nec vnquam sa-

*ex lib. 14. de Ciuit. cap. 13.*

*l. de Grat. Chr. c. 35.*

tis æstimato, auxilium sufficiens impertitum Adamo dicit esse gratiam, *in qua si permanere vellet, nunquam malus esset. In qua permaneret, si vellet. Qua fit, vt habeat homo iustitiam, si velit. Qua possit, & sine qua non possit homo benè agere, si velit.* Ex cap.11. Ita de cæteris, quæ breuitatis studio contraximus. Atqui certum est sic eum loqui de posteritate lapsa. In Enchiridio loquens de Tyriis. *Nec vtique Deus iniustè noluit saluos fieri, cùm possent salui esse, si vellent.* cap.95. Et contra Faustum post multa præclarè & idoneè ad præsentem causam dicta. *Huius erroris vestri causa, superbia est, quam non habebitis, si nolitis.* l.22. c.22. sub fin. Et libro secundo de actis cum Felice Fausti socio & cognonimi, *habet vnusquisque in voluntate aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala.* cap.4. Vbi non intrudit illis Adamum, quem cum toto veteri testamento Manichæi contemptim explodebant; sed humanum genus exponit, quale nunc est, qualéque tunc erat. Vnde postea subdit. *Cogita potius & perpende, quæ audis. In tua voluntate es*; hoc est, potestate, vt superiùs ab Aduersariis explicatum audiuimus. cap.12.

In ps. 7. fin. Quare *nihil possunt impiorum valere blasphemiæ, qui volentes excusare facinora sua, nolunt suæ culpæ tribuere, quod peccant; hoc est, nolunt suæ culpæ tribuere culpam suam. Itaque aut fortunam, aut fatum inueniunt, quod accusent; aut diabolum, cui non consentire in potestate nostra esse voluit, qui nos fecit* : & hoc voluit posse omnes, donante se, qui fecit omnes propter se.

Cùm igitur aduersarij facilè concedant: & gratiam sufficientem Adamo collatam esse, quia dixit S. Augustinus eum accepisse diuinitus lumen, *quo videre possit*: & auxilium, *sine quo non posset, & cum quo rectè posset viuere, si vellet*: Cùm ille idem hoc ipsum tam sæpe repetat de gratia nobis impertita, cur eidem sancto idem dicenti non etiam credunt? Cur credere grauantur Arausicanis Patribus rem ita definientibus de baptizatis, quos inter sunt multi reprobandi. Can. 23. *Omnes, auxiliante Christo, debent & possunt, si fideliter laborare voluerint, adimplere præcepta.* Vbi Patres illi ex æquo incedere volunt & debitum & potestatem benè agendi; ita vt nemo teneatur hîc & nunc, quin possit hîc & nunc benè agere.

Quod frequentiſſimè docet S. Aug. vt primò cùm ait nemini deeſſe lumen, quo videat, quidquid ſuarum ipſius partium eſt. *Cùm vbique ſit præſens, qui multis modis, per creaturam ſibi Domino ſeruientem, auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quòd inuitus ignoras, ſed quòd negligis quærere, quod ignoras: Neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis. Iſta tua propria peccata ſunt. Nulli enim homini ablatum eſt ſcire vtiliter, quod inutiliter ignoratur.* *l. 3. de lib. arb. c. 19.*

Deinde veritatem hanc confirmat, cùm toties ſcribit nemini deeſſe facultatem ad petendum. Diſputando contra Celeſtium de potentia ac obligatione implendi præcepta, quæ tam reprobis, quàm electis imponuntur, ſic habet. *Nec aliam ob cauſam ſcriptura commemorat non eſſe grauia diuina præcepta, niſi vt anima, quæ illa grauia ſentit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta, qualia commendantur, leuia ſcilicet atque ſuauia; & oret gemitu volun-* *l. de perf. Iuſt. c. 10.*

*tatis, vt impetret donum facilitatis*, aliàs facultatis. Et paulò pòst. *Nec tamen, cùm ea grauia sentit, desperando frangatur, sed ad quærendum, petendum, pulsandúmque cogatur. Audiamus ergo & in his testimoniis, quæ deinde* scriptura *posuit, Deum sua præcepta non grauia commendantem; quòd Dei mandata, inquit, non modò impoßibilia non sint, verùm ne grauia quidem.* Nam oratio nulli non parabilis *impetret donum facilitatis*, hoc est, vt præmiserat, caritatis, quæ *foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam leuem; non solùm non prementem onere ponderum, verùm etiam ssubleuantem vice pennarum.*

*Ibid.*

Ex quo prætereà sequitur nulli deesse gratiam ad agendum, sine qua quid prodesset petendi facultas? Vnde S. Aug. *Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Quod iisdem terminis repetit Concilium Tridentinum cum hoc additamento, *& adiuuat vt possis.* Adiuuat, inquit, omnes; sint electi, sint reprobi. Nam *si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gra-*

*l. de nat. & gr. c. 43.*

*S. 6. c. 11.*

*Conc. Trid. S. 6 can. 17.*

*tiam non accipere, vt pote diuina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.* Huc etiam spectat dictum illud notissimum. *Da, quod iubes; & iube quod vis.* *Quæ verba Pelagius ferre non potuit: Ideóque penè litigauit cum fratre quodam Coëpiscopo* S. Præsulis *illa Romæ commemorante.* Cùm quis igitur grauia sentit præcepta, quæ tamen scriptura dicit esse leuia, *oret gemitu voluntatis, vt impetret donum facultatis.* Quamquam enim omnibus non sit semper & vbique facultas proximè & immediatè præsens ad exequendum præceptum, non deest tamen facultas ad petendum auxilium: eo donante & os aperiente, *qui mendicos suos nos fecit, monendo nos & hortando, & iubendo vt petamus, quæramus, pulsemus.* Ad illud non sæpius hortando: quia non vocat illudendo.

*l. de dono perf. c.20.*

*l. de perf. Iust. c.10.*

*Serm. 5. de verb. Domini c.6.*

Nec aliter crediderim tot loca, quibus modò ait, modò negat præcipi nobis impossibilia, conciliari posse, quàm consentanèe ad mentem eius dicendo nobis id præcipi, cui vires nostræ non sufficiunt; non esse tamen præceptum impossibile, quia quamdiu mandato obligamur, tamdiu iuuamur auxilio,

vel quo præceptum impleamus, vel quo possimus aut illud implere, aut saltem petere quod deest ad hoc, vt possimus. Nam quod obtendunt rem esse Deo facilem, aut primo homini non fuisse difficilem, aut etiam nobis etiámnum esse possibilem, si, quam dari nolunt, gratiam haberemus: friuolum est. Pariter enim dici posset esse Deo facile, vt iam nunc ad cælum subuoles: quod tamen si iuberet, nec vllatenus ipse vel alarum remigio, vel aliter subleuare vellet, quis reum diceret hominem non eò sese subuehentem? Aut, si paritas vel similitudo, qua tamen vtitur S. Aug. non placet, quia iam olim homo sua sibi culpa veluti pennas auulsit, quando, quam acceperat initio sui, *voluntatem liberam & sufficientissimam facultatem* ad omne genus boni supernaturalis, sibi abstulit: scimus quod à S. Aug. post scripturam didicimus, Deũ esse mitiorem, quàm vt naturam humanam ita premi velit pręcepto vel morali, vel etiam naturali, vt ineffabilis culpę, & intolerabilis pęnę rea sit, quia, quod impossibile sibi, est, non fecerit. Cœlo nos expulit culpa communis: sed pręuaricationis proprię

*Suprà l. de perf. Iust. c. 10.*

*l. 3. de lib. arb. c. 16.*

propriæ, tantíque cruciatus, quanto plecti creduntur peccatores primæ notæ, reos nihil facit, nisi culpa propria, quæ si, dum incurritur caueri non potest, aut nulla est, aut certè minus damnabilis est.

Nec mouet, quod prætendunt posse eam caueri, si diuinitus præmuniamur: Id enim verum est: sed quia tam multos à Deo præmuniri negant, ideò secundùm illos, quicumque non adiuti peccant, peccatum cauere non possunt; sed possent, si potestatem aliunde acciperent. Et tamen quicumque malè agunt, non modò possent hoc non facere; sed etiam possunt: vnde sequitur eos sufficienter adiuuari. Aut, si non valet in nobis consecutio, nec valebit in Adamo, cui dum inde probant datam fuisse gratiam sufficientem, quia dicitur potuisse præstare, quod non præstitit: qui gratiam illi concessam negaret, similiter cauillari posset. Potuit, si gratiam habuit: sed quia non habuit, non tam potuit, quàm potuisset, si gratiam habuisset. Cùm igitur ille dicatur fuisse sufficienter adiutus, quia dicit S. Aug. potuisse illum facere, quod non fecit:

ideóque potuisse non tam si gratiam habuit ex suppositione possibili, quàm quòd habuit de facto: patiantur nos ex eiusdem sancti doctrina modóque loquendi concludere, non solùm quòd eius posteri possent, si iuuarentur, de quo qui dubitet, certum est esse neminem: sed etiam quòd possint hîc & nunc, ideóque possint potestate vel remota, quæ sit tamen in eorum manu, si, faciendo quod in se est, gratiæ superuenturæ obicem non opponant: vel proximâ, quatenus iuuantur per auxilium non solùm immeritissimis, sed & indignissimis suffectum, ac proinde non alio titulo nobis debitum, quàm misericordissima promissione Dei sic per se-

Ezech. 33 ipsum iurâtis. *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impÿ, sed vt conuertatur impius à via sua; & viuat. Conuertimini, cõuertimini à viis vestris pessimis.* Quod quia de no-

*l. de gr. & lib. arb. c. 16.* stro non possumus: Et *ideò iubet aliqua Deus, quæ non possumus, vt nouerimus quid ab illo petere debeamus*: Dicamus flebiliter & piè cum illo Propheta lamentato-

*Thren 5.* te. *Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur.* Conuerte nos, non quia meremur

*l. 5. confess. c. 9.* nos: *sed quia in seculum misericordia tua*

*ideóque dignaris iis, quibus omnia debita dimittis, etiam promißionibus tuis debitor fieri: fidelis* ergo *Deus, qui se nostrum debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo.*

## CAPVT XIII.

### *Sentential S. Prosperi & aliorum S. Aug.ⁿ Discipulorum circa gratiam sufficientem.*

EX eodem fonte veritatem hanc hauserat S. Prosper, cùm in hunc modum de prouidentiâ supernaturali dissereret. *Quamuis hæc & multa similia veritatis scriptura pronuntiet; secundùm ipsam tamen credimus, & piißimè confitemur, quòd nunquam vniuersitati hominum diuinæ prouidentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit.* Sed neque cuiusquam singularitati gratiam denegauit; qui, *quantum sufficiebat, Cainum curauit*; qui, teste S. August. *Iudam redemit.* Quorum vterque si periit, in promptu causa est:

*l.1. de vocat. Gent. cap.2.*

*Ibid. c.4.*

*In Ps.68. sub fin.*

*S. Prosper l cit. c.8. sub fin.*

fecit enim quod *magna pars hominum, quæ repellit, aut negligit gratiam saluantis,*
Ibid.c.7. hoc est, saluare volentis, ob eamque causam omnes nunquam non iuuantis; vt frequentissimè testatur S. Prosper. *Credimus nullis hominibus opem gratiæ in to-*
2.c.2. *tum fuisse subtractam.* Quamuis ibi cum aliis admiretur, cur Saluator omnium hominum non omnibus dederit gra-
cap.5. tiam, quâ credant, contentus dare, quâ possint, quæque illis præstò semper est. Nam *etsi parcior antea atque occultior fuit, nullis tamen sæculis se negauit*: Imò nullis post homines natos hominibus, quibus illa *sufficit, quibusdam ad remdium, omnibus ad testimonium.* Ad remedium eo-
cap.9 rum, qui per eam curari voluerint; ad testimonium diuinæ liberalitatis, & iustitiæ aduersus eos, qui renuerint. Et post multa examussim, & appositè ad rem nostram disputata libros illos, ita concludit. *Vniuersitati hominum, quod abundè probauimus, ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper, & consulit; vt neque vlli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua iustitia gloriari; cùm & illos propria nequitia*

*demergat ad pœnam, & illis Dei gratia perducat ad gloriam.* Quare sicut istis nullus gloriandi, ita nec aliis vllus relinquitur excusandi se locus; & multo minùs de Domino plusquam optimo obloquendi. *Cùm nemini correctionis viam adimat, nec quenquam boni possibilitate dispoliet.* Sed contra potius omnibus à Dæmone dispoliatis reddat exuuias, quas ille detraxit, si tamen Apostolo paruerint dicenti, *Induimini Dominum Iesum Christum; & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Ad obiect. 15. Vincent. Rom. 13.

Quòd si parere nolint, & *gratiam Dei in vacuum recipientes malint serui esse peccati, nec velint, dum tempus est acceptabile, & dies salutis, conuerti à via sua mala, vt viuant; sciant se prædestinatos ad interitum non delicti, sed supplicij.* Quemadmodum scribit S. Fulgentius ad Monimum. Vbi, dum ait, quòd *in vacuum Dei gratiam aliqui recipiant*, & hoc ait post D. Paulum hortantem, *ne vacuum gratiam Dei recipiamus*; hoc est, cùm ait post S. Aug. de gratia actuali ita loquentem, *Habet homo concupiscentiam, cum qua pugnet, eámque, adiuuante Deo, superet, si non in vacuum gratiam eius susceperit, si reproba-* S. Fulg. l.1.cap.5. ad Monim. 2.Cor 6. l.1.de pecc. mer. & remiss.c.39.

*tus esse noluerit*; apertè fatetur dari nobis gratiam actualem, quæ sæpe sit infœcunda; præter aliam, quæ, quia semper fructuosa est, ab Apostolo, & Doctoribus Apostolicis dicitur esse, *donum sine pœnitentia*, ἀμεταμέλητον χάρισμα. Harum alterutram nobis semper adesse certus, ita scribit ad Gallam. *Nec tibi auxilium denegat in hoc sæculo, nec præmium subtrahet in futuro.* Vnde didicit non ei gratiam singulariter denegatum iri, nisi quia legit, ita quibusdam indulgeri specialem, vt generalitati communis non subducatur; *Deus etenim noster sic est misericors & bonus, sicut infinitus est, & inuictus. Proinde bonitas inuicti non vincitur, & infiniti misericordia non finitur.* Ideóque *tempus omne præsentis vitæ conuersioni nostræ cognoscitur deputasse, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.* Vnde meritò sic hortatur omnes. *Relinquat ergo impius viam suam, qua peccat: relinquat iniquus cogitationem suam, qua de peccatorum remissione desperat, & secundum prophetæ dictum, conuertatur ad Dominum, quia multus est ad ignoscendum. In hoc multa nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipoten-*

Rom. 11.
S. Fulg. Epist. 2. cap. 10.
Idem ep. 7. cap. 6.
Id. cap. 9.
Ibid. c. 4.

*tia misericors. Tanta est autem & benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, vt nihil sit, quod nolit, aut non possit relaxare conuerso.* Nec vllus sit qui non iuuetur, vt cõuerti possit: quanquam multi, *contra se indulgentiæ ostium claudant; Iudam imitati, qui deteriore se metipsum vinculo iniquitatis obstrinxit, cùm se occidit nocentem, quàm tum, cùm Christum tradidit innocentem.* Quemadmodum loquitur idem sanctus in libris de remissione peccatorum, vbi periuros, homicidas, adulteros de Dei misericordia desperantes, ita persequitur. *Cùm Iudæ peccatum comparatum occisioni Christi leuius crimen pronuntietur: Ipse tamen in eodem leniore crimine multò deterior inuenitur; quia licet non occiderit Christum, in eo tamen deteriùs peccauit, quàm si Christum occidisset, in quo tempus neglexit congruum, quod est remißioni peccatorum diuina longanimitate concessum.* Ex quibus aliísque conficitur, quandoquidem longanimi Dei misericordia reprobis, vel desperatissimis datur, & producitur tempus conuersioni, & pœnitentię congruum, sedulò velle Deum liberare, & mediatoris interuentu iuuare perituros.

Epist. 7. cap. 4.

l. 2. cap. 16.

Ibid. c. 17.

De quo videamus adhuc quid sentiat Paulus Orosius, qui se toties S. Aug. filium & discipulum fuisse gloriatur.

Lib de arbitr. libert. sub med.

*Mea semper hac est fidelis atque indubitata sententia. Deum adiutorium suum non solùm in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratia sua dona largitur; verùm etiam vniuersis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui æternámque clementiam subministrare; non vt tu asseris*, Pelagium *alloquitur*, *cum discipulo tuo Celestio, in solo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter vniuersis vnam gratiam contributam; sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos & cunctis & singulis ministrare.*

## CAPVT XIV.

### *Quomodo iuuentur omnes ad salutem.*

PRIMO multis inest potestas prima diuinitùs collata per gratiam, Deo mentem illustrante & cor accendente, plùs minùs, ad libitum. Quia tamen vi-

demus multos in flagranti delicto, repentino hostis incursu, lethargo, morbo phrenetico, profunda nimiúmque sæpe intercurrente distractione à rebus diuinis ad temporales, aut alio casu passim obuio repentè correptos emori, ita vt credantur nec habere locum, nec tempus ad se redeundi in illis circumstantiarum articulis: fateri cogimur, post alios, pœnitendi potestatem iis in pœnam adimi, quorum salus curáque salutis incogitata morte præuertitur. Idem dici solet de quibusdam aliis, qui postquam ad ea peccata, vltra quæ iuxta diuinum judicium nullus est veniæ locus, cumulum addiderint, non immeritò deseruntur. Talem fuisse Pharaonem saltem sub vltimam plagam scribit S. Aug. exponendo quædam capitula Epistolæ ad Romanos, Vbi ait *eum quidem hac infidelitate posteriori malè operatum fuisse, sed hoc illi non imputatum, nisi propter priorem infidelitatem.* Hoc est, fuisse quidem imputatum ad culpam, quandoquidem dicitur *malè operatus*, sed non ad augmentum æternæ damnationis aut pœnæ, quandoquidem *obdurato corde* per subtractionem iustis- *cap. 62. p.*

ſimam omnis gratiæ *obtemperare non poterat.* Vnde ob alia peccata magis arbitraria aut libera damnatum eſſe ſenſerit. Quæ loci difficilis & controuerſi ſolutio videtur expeditior, quàm quæ tanta ambiguitate traditur à nonnullis. Præſertim cùm ea ſit mens aliorum Patrum & Doctorum, vt infrà dicitur.

*Ianſ. l. 3. de gr. Chr. c. 16. Parte 2. c. 13.*

Quibus verò conceditur opportunitas de ſe ſuáque ſalute cogitandi, conceditur etiam pœnitendi facultas vel proxima, vel remota, nec vſque tamen adeò remota, quin penes illos ſit. Quod quomodo fiat, exponit D. Thomas. *Si quis enim vel in ſyluis nutritus ductum rationis naturalis ſequatur in appetitu boni, & fuga mali, ei Deus vel per internã inſpirationem reuelaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſſaria, vel aliquem prædicatorem dirigeret ad illum, ſicut Petrum Cornelio & Paulum Macedonibus,* vt habetur in Actibus Apoſtolorum & refertur ab eodem S. D. in Epiſtolam ad Romanos. Non quia per actus naturales vtcumque bonos gratiam mereretur; per illos enim, vt ait S. Proſper, *nihil homines ſupra mercedem gloriæ temporalis acquirunt: & cùm præſentem vitam decenter exor-*

*q. 19. de verit. a. 11. ad 1.*

*cap. 10. & c. 16.*

*In c. 10. lect. 3.*

*l. 1. de voc. gent. c. 2.*

*nient, æternæ tamen beatitudinis præmium non habent*: Sed quia aditum sibi misericordiæ non præcludunt. *Cùm enim* ex doctrina D. Thomæ *sit in potestate liberi arbitrij impediri diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; & illi soli gratia priuantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut, sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis præueniatur.* *l. 3. cont. Gent. c. 159.*

Quòd si Deus, quia summè misericors, *paratus est, quantum est in se, omnibus gratiam dare*, eámque sæpe largiatur magnis peccatoribus obicem amouere nihil curantibus; quomodo deesse poterit homini facienti quod in se est? Non quòd ideò dignus sit, *quamuis enim salus nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit*, vt Porphyrio respondet S. Aug. sicut tamen nullus ad salutem idoneus, eâue *dignus est voluntate humana, sed gratia vel prædestinatione diuina*, vt dictum illud suum longè *Ep. 49. q. 2.* *l. de præd. SS. c. 10.*

pôst interpretatus est: ita gratiâ primâ nemo dignus est, nisi quem ea Deus dignari voluerit. Sed generosis illius conatibus ideò subuenit, quia, qui toties pro sua benignitate dignatur eos adiuuare, qui nihil eorum, quæ possunt, præstare conantur, alienum putat à natura sua, hoc est, misericordia eos deserere, qui, quidquid possunt, constanter efficiunt. Vtrouis autem modo Deus id præstet, præstò semper est auxilium vel proximè vel remotè: intelligendo nomine auxilij remoti non solam potentiam naturalem, quam gratiæ Christianæ loco substituebat Pelagius, sed facultatem, quæ sit in omnium manu; quo sensu rem modò D. Thomas explicuit. Quam facultatem vtrouis modo receperint quotquot ab orbe condito nati sunt, receperunt tamen, saltem qua possent.

*l. 2. de voc. gent. c. 4. l. 15. de ciu. c. 8.* Potuit ergo Cainus, teste suprà S. Prospero. Et quamquam ille sit *caput ciuitatis reprobæ, vt Sethus electæ*, iuxta commune dictum S. Aug. *Posteris tamen istius fratricidæ*, vt pergit ibidem S. Prosper, *quamuis in progenitoris sui moribus viuerent, numquam se diuinam bonitatem*

*negasse quis non facilè aduertat, si consideret, quantùm eis prodesse potuerit tam longa patientia Dei, tam diues bonorum temporalium copia*, numquam sine melioribus profusa, vt ex eiusdem testimoniis alibi demonstratur? Cùm temporibus Noë ad pœnitentiam flagitiosos homines tam diuturna, nempe seculari prædicatione inuitaret, *& exspectaret eos Dei patientia per tempus tot annorum, quibus arca fabricata est*, vt loquitur S. Aug. qui testatur alibi, *ideò prædicatam illis tamdiu iram Dei venturam super eas, vt si conuerterentur ad* D*ominum, parceret eis, sicut pepercit posteà Niniue ciuitati agenti pœnitentiam*; atque ita salutem non temporalem modò, sed & æternam in multis ciuibus suis consecutæ, non minùs quàm Iob, teste eodem sancto, Epistola proximè citata; quia non minùs ad Deum conuersæ, quàm fuerit D. Paulus, vt obseruat alio loco.

*Suprà c. 4. & 8. Infrà p. 2. arg. 4.*

*Ep. 99. sub med.*

*l. de catech. rud. c. 19.*

Hanc Dei patientiam, & exspectationem domonstrant PP. & DD. ex Scriptura passim asserente Deum esse facilem ad veniam, tardum ad iram; in mediúmque & exemplum proferunt moram Angelorum in hospitio Abra-

*Ps. 50. med.*

hæ ante conflagrationem Pentapoleos; multiplicem Mosis admonitionem ante naufragium Ægyptiorum; inuitam Ionæ prædicationem ad saluandam Niniuen, eiusdémque prophetæ quærimo-
cap.5. niam de nimia Dei clementia. *Afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est, & orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro, Domine, nunquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? Propter hoc preoccupaui, vt fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens, misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.*

183. qq. Quin imò, *totum genus humanum, quod,*
q.58. med. *tanquam vnus homo, distribuitur in sex ætates*, ab infantia ad senectam vsque percurrens millies prædicat diuinam gratiam liberaliter effusam, & generibus singulorum, & singulis generum, vt loquuntur hodiernæ scholæ. Quam ob causam toties miratur cæcitatem, & Iudæorum, & Hæreticorum, & Gen-
In Ps.25. tilium, *qui, patentibus oculis, remanent*
fin. *in tenebris, quia non agnoscunt Dominum lucem suam.* Vbi non frustrà, *suam*, addidit; cùm velit Deus omnes, & quia omnes velit etiã excæcatos illos illuminare.

Huius rei figura prænituit in æneo serpente, cuius intuitu nulli non obuio, quotquot πληγῆτες, illi serpentis percusserant, curabiles erant. Veritas in Christo subsecuta. *Quia in ipso est salus omnium percussorum venenata suasione serpentis.* Huic veritati prælusit & figura sacrificiorum legalium; *In quibus figuratio fuit carnis, & sanguinis Christi Domini,* teste S. Fulgentio, post S. August. dicentem, *huius sacrificij singularis fuisse vmbras omnia sacrificia legis, & prophetarum*, quòd, quemadmodum illa, pro omnibus, & singulis offeratur.

Ioan. 3.

Annot. in Iob c. 38.

l. de fide cap. 19.

In Ench. cap. 33.

De quo tam non dubitat S. Paulus, vt dixerit, *gentes, quæ legem non haben, naturaliter ea facere, quæ legis sunt.* Vbi cùm ait hæc fieri naturaliter, vel natura φύσει, non vult per naturam negari gratiam, sed potius, vt exponit S. Aug. per gratiam superadditam, *vult reparari naturam:* hoc est, per gratiam in supplementum legis scriptæ succurrentem, & inscriptam omnium cordibus, etiam Ethnici præstare possunt, quæ iubentur. Atque ita volente auctore, & naturæ, & gratiæ, naturæ reparatio in manibus naturæ est diuinitus adiutæ. Huic veri-

Rom. 2.

l. de spir. & lit. c. 27.

tati consentientem spiritum emisit, quando non procul ab exitu loquens de Tyriis, quibus præter signa Iudæis exhibita, teste Christo Domino, nihil defuit ad credendum hæc addit. *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Vbi dum ait, *quosdam*, intelligit eos, qui scriptam exterius legem non habent, & tamen *naturaliter*, teste Apostolo, facere possunt, quæ legis sunt. Naturalis autem intelligentia, etiam cum signis illis, & prædicatione, ad id non potest sufficere, nisi iuuetur interna gratia, quam prædicta signa aut verba quasi suscitent, ad masculos, & salubres conatus. *Nam ad nonnulla separanda magnis aliquando & totis viribus opus est.* Quas quia Iudæi exercere noluerunt, *facile est, vt infidelitatem eorum accusemus de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt.* Inde etiam facilè perspicitur, cur reprobati sint Tyrij, quandoquidem sufficienter adiuti. *Nec proinde Deus eos iniustè noluit saluos fieri, cùm possent salui esse*

*l. de dono pers. c. 14.*

*l. 2. de pecc. mer. & r. miss. c. 3.*

*l. de dono pers. c. 9.*

*In Enchir. cap. 95.*

*esse, si vellent*: Aut cur minus damnati, minorive supplicio puniendi, vt loco proximè citato ex libro de dono perseuerantiæ ait S. Aug. post Christum Dominum in Euangelio dicentem cum his *remissiùs*, aut tolerabiliùs, ἀνεκτότερον, actum iri, quàm cum aliis; quia cùm tot signis, & cohortationibus caruerint, minùs adiuti, minùs ingrati, & consequenter minùs rei aut sontes exstiterint. Cur autem minus adiuti sint, hanc rationem affert. *Quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent, est negatum.* Id est, quia prædestinati non erant ad gratiam efficacem, qua actu crederent, negatus est effectus huiuscemodi prædestinationis: non iis tamen negatum est auxilium, quo credere & saluari possent; dicente S. Aug. *eos potuisse salui esse, si voluissent.*

*Matth.* 11.

*Ibid. c.* 14.

*cap.* 95. Enchir.

## CAPVT XV.

### *Semper, vbique, & omnibus præstò gratia est.*

PRÆSTO semper adest, quia nullis hîc temporibus circumscripta. Porphyrio Christianis hæc obiicienti, *Si Christus se salutis viam dicit & gratiam, in séque solo ponit animis sibi credentibus reditum; quid egerunt tot seculorum homines ante Christum?* rescribit S. Aug. & *voluntatem*, quâ Deus vult omnes ad salutem iuuare, *nunquam omnino defuisse mortalibus*, & viam aut gratiam, quam ille quærebat, *nunquam humano generi defuisse*: vnde præmiserat, hanc esse, *viam regalem*, λαοφόροι, publicam, ac militarem.

*Epist. 49. quæst. 2.*

*l. 10. de Ciu. c. 32.*

*Ibid. p.*

Adest etiam vbique. *Cùm enim perplexæ sint istæ duæ ciuitates in hoc sæculo, inuicémque permixtæ:* Fideles electi *non tam congregantur in vnum aliquem corporalem locum, quàm in vnum spiritum, & in vnum corpus, cuius vnum caput est Christus*, & Sol vnus sic illuminans omnem

*l. 1. de Ciu. cap. 35.*

*Epist. 57. fin.*

hominem, vt *nullus sit, qui se abscondat à calore eius, quia mortalitatem nostram suscipiens non permisit vllum mortalium excusare se de vmbra mortis, & ipsam enim penetrauit verbi calor.* Ita quippe modò nobiscum adhuc viatoribus agitur, *vt non loco, sed affectu interim separentur boni à malis.* Vnde alibi, *modò separamur non locis, sed moribus, effectibus, desideriis, fide, spe, charitate.* Quapropter exclamat alio loco. *Quàm multæ oues foris! Quàm multi lupi intus!* In Ps. 18. princ. In Ps. 8. p. tract. 19. in Ioan. sub fin. tract. 45. in Ioan. sub med.

Centurionem illum nomine Cornelium adhuc inter Ethnicos degentem, quis extraneum neget? Et tamen, vt dicitur in expositione inchoata epistolæ ad Romanos, & alibi, *ipsum Spiritum sanctum, antequam baptizaretur, accepit. Quamquam non ideò sacramenta illa, quorum res in eo præcesserat, cõtempserit.* Quòd si Spiritum sanctum & *rem*, aut effectum baptismi ante baptismum cum numerosa familia accepit, quis eum; quis eius domesticos Deo neget acquisitos? Quales tamen non fuissent, si postea verum, & realem Sacramentorum vsum contemptim omisissent, vt alio loco non solùm de Centurione illo Romano, sed sub fin. & in ps. 96. sub med.

& de Catechumenis nostris fatetur di-
l.1.adSim- cens, *in illis fieri inchoationes quasdam fi-*
pl.q.2 p. *dei conceptioni similes, nec eos nasci ad vitam æternam, si spreuerint regenerationem*, vel in re, vel saltem in voto, quorum hæc, illa deficiente, saluti satis esse potest.

Eo ferè inter Christianos distant à nobis tyrones fidei, vel auditores, vt eos passim appellat post Tertullian. S. Cyprianus; quo inter prophanos ab Epoptis Eleusinis Mystæ, aut Pythagoræ Sigaliones ab eius familiaribus: & tamen illi rudiores sæpe præeliguntur, & præferuntur eruditioribus. Nónne Catechumenus erat Gratianus Imperator, quo tempore Maximi dolo Lugduni circumuentus est? Nónne ei, vt sorte, sic & religione similis erat Valentinianus frater, Imperij consors & hæres, quo tempore Eugenij artibus Viennæ illaqueatus est, & præfocatus? De vtriusque tamen Alumni salute quid spei præ se non fert, & promit S. Ambrosius? Primogenito reddit hoc testimonium.
In Ps 61. *Raptus est iustus, ne malitia mutaret cor*
med. *eius. Mors ergo ista magis peccati fuga, quàm morientis est detrimentum.* Alterius

non celebre minùs, quàm lacrymabile, ita terminat in eo panegyrico, quem iuueni, vt flori præmaturiùs excerpto dixit. *Pulchra conuersio eius in sæculo. Pulcherrimus incessus eius, & volatus in cælum. Videor mihi videre te fulgentem; videor audire dicentem: Diluculum est mihi, pater, nox terrena præcessit, dies cælestis appropinquauit.* Et paulò ante. *Hunc sua pietas abluit, & voluntas*, à Domino præparata, & statim ita Deo supplicat: *Ne, quæso, eum, Domine, à fratre seiungas, nec iugum hoc piæ germanitatis patiaris abrumpi.* *Id in orat. fun. Valent.*

Deus igitur, qui omnium vt Creator est, ita Saluator esse cupit, semper & vbique probat se, & auctorem, & largitorem tam gratiæ, quàm naturæ. Quanquam vt naturæ, sic & *gratiæ opera & dona multis, & innumerabilibus differentiis variantur, inque ipsis singulis generibus munerum dissimiles sunt gradus, & impares quantitates.* Et, *præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur*; præsertim in iis, qui non solùm spiritu, sed & visi- *S. Prosper l. 2. de voc. Gent. c. 3. med.* *Ibid. c. 8. med.*

bili loco in vnum corpus coagmentantur, in gremium matris Ecclesiæ palàm & sensibiliter insinuati. Quorum tamen priuilegia de generali lege nihil derogant: Sicut enim etiam post tot támque
c.15. Ench. graues culpas ac pœnas. *Natura in malis suis non potuit amittere beatitudinis appe-*
l. de Nat. & Grat. cap 46. *titum.* Quia nos omnes *semper beati esse volumus, & id omnino nolle non possumus, nescio qua, & bona constrictione naturæ:* Sic, eo statuente, qui omnium & Dominus est prouidentissimus, & pater amantissimus, omnibus præparatum est, vnde appetitum illum satiare valeant, atque ita priuatim experiri, & palam ostendere non eum frustrà nobis ingenitum esse.

Hactenus dicta breui pronuntiato
1. Tim. 4. comprehendit Apostolus dicendo: *Ipse est Saluator omnium hominun, maximè fidelium.* Cuius loci enarratio, qualem exhibet S. Prosper, huic priori parti
l. 2. de voc. Gent c. 10. clausulam imponit. *Hæc sententia subtilissimæ breuitatis, & validissimi roboris si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua egimus, controuersiam dirimit; dicendo enim, qui est Saluator omnium hominum, confirmauit bonitatem super vniuer-*

*sos homines esse generalem*, bonitatem vtique non naturaliter modò beneficam; sed & supernaturaliter salutarem, quandoquidem dicitur Saluator omnium, *adiiciendo autem, maximè fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei diuinitus inspirata ad summam, atque æternam salutem specialibus beneficiis proueheatur. Quod vtique nulla iniquitate agitur iustissimi, & misericordissimi Dei, cuius iudicium in his dispensationibus non cum arrogantia discutiendum, sed cum tremore laudandum est. Si enim de parentum carnalium iudiciis conqueri non audemus, cùm aliquos filios suos ante vlla morum examina, ante aliqua pietatis obsequia, indulgentiore amplectuntur affectu; in dominis quoque erga famulos libera est dispositio; nec iustè à quoquam reprehenditur, qui de vnius conditionis familia quosdam sibi, quos benigniùs honestaret, & quos liberius erudiret, elegit: nunquid de summi patris, & veri domini beneuolentissima æquitate causandum est, quòd in magna domo eius innumeris differentiis vniuersa variantur? Sicut ergo de iis, quæ intra Ecclesiam multiformiter Spiritus sanctus operatur, impium est illam querelam corde conci-*

*pere; ita etiam de illa prouidentia, quæ infidelibus præsidet, nullatenus murmurandum est: quoniam & iustus, & bonus arbiter nec voluntatis iniquæ est, nec discretionis incertæ, vt sub immensa omnipotentis Dei misericordia atque iustitia putemus, quòd quisquam pereat, qui perire non debeat.* Nec alio titulo perire debet adultorum vllus, quàm merito suo. Quia restitit Deo perituros omnes saluare cupienti; restitit Mediatori pro perituris mortuo; restitit diuinæ gratiæ nulli hominum vel perituro denegatæ. Quæ tria arctissimè inter se colligata, vt initio proposuimus, sic in procursu huius proludij audiuimus ex eodem ore; vnde σὺν θεῷ, argumentorum, quæ contra fiunt, solutionem exspectamus.

# PARS POSTERIOR.

## Soluuntur argumenta negatiuæ.

## ARGVMENTVM I.

*Fit ſemper Dei voluntas.*

NAM *omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo & in terra.* Et, *voluntati eius quis reſiſtit*, aut vmquam reſtitit, ἀνθέστηκε; Vnde S. Aug. in opere poſteriori contra Iulianum, *Abſit, vt impediatur ab homine omnipotẽtis & cuncta præſcientis intentio.* Et alibi. *Deo volenti ſaluum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium, ſic enim velle & nolle in*

Pſ. 134. Rom. 9. l. 1. c. 91. l. de cor. & gr. c. 14.

*volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Similia scribit S. Fulgentius. *Quod vult, semper insuperabiliter facit. Cùm ergo vult omnes homines saluos fieri, hoc vtique in eis impletur, quod omnipotentis Dei voluntas incommutabilis & insuperabilis habet.* Eadem etiam conscribunt apud eundem Præsules Africani exsules in Sardinia. *Semper voluntas Dei omnipotentis impletur, quia potestas eius nullatenus vincitur. Ipse est enim, qui omnia, quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, & cuius voluntati nemo resistit.*

*S. Fulg. l. 2. de remiss. pec. c. 2.*

*Epist. synod. fin.*

Ex quibus aliisque argumentatur pars aduersa, quotiescumque non sequitur executio finis, nullam circa talem finem anteire Dei voluntatem, ac proinde, quicumque pereunt, à Deo creari, non vt saluentur: Quod enim attinet ad hunc finem, non aliter afficitur erga homines hodie nascentes, posteà perituros, quàm circa iam olim *damnatos vel homines vel Angelos*. Eos itaque à Deo creari docet non ob alium finem vel vsum, quàm vt *Prædestinati ex eorum veluti iumentorum seruitute recipiant ad-*

*Ians. l. 3. de gr. Chr. c. 20. sub med.*

*Ibid. c. vlt.*

*l. 10. c. 16. sub fin.*

*iutorium.* Quam doctrinam *fatetur esse quidem seueram, sed tamen S. Aug. iudicio nimis veram.* Ad quod, data lubenter prima parte de seueritate tot hominum μυριάδας, iumentorum instar, aut etiam multò deteriùs labente, vltrò daremus & alteram, si procederet iuxta τὸν παραλογισμὸν dicentem, nihil nimis verum, esse verum. Sed quia res magis, quàm voces nos prosequi decet, posteriorem partem dare non possumus, saluâ veritate rei, salua etiam auctoritate illius viri, cuius vnius nomine comprehenduntur innumeri, *cap. 11. med.*

Ἔστι γὰρ εἷς οὗτος πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Nam ille prædictum argumentum sæpenúmero futilitatis arguit; vt cùm ait voluisse Deum, vt omnes Angeli viatores saluarentur: vt primus homo se suósque in barathrum ne demergeret: & tamen tot legiones Angelicæ cum suo principe, & omnes homines in eo perierunt, in quo peccauerunt. Vnde manet hoc saltem, non ita semper & vbique fœcundam esse diuinam voluntatem, quin aliquando sterilitatem patiatur. Quando scilicet non absoluta, sed conditionalis est: qualis erat an-

te lapſum Angelicum & humanum. Et quamquam poſt illud vtrumque peccatum rerum ſtatus & perſonarum mutatus eſt, non ita tamen ordo diuinæ prouidentiæ, quin hodiéque multa velit Deus, quæ tamen non fiunt. An fieri non vult, quæ præcipit? Aut fieri vult ea, quæ prohibet? Et tamen, quàm ſæpe primum omittimus, & alterum attentamus aut etiam exequimur? Et hoc vtrumque præter & contra diuinam voluntatem. *Can. 23.* *Faciunt enim homines voluntatem ſuam non Dei, quando faciunt, quod volunt, non quod iubet Deus.* Quæ ſunt verba Concilij alterius Arauſicani loquentis, vt ſemper, ore S. Aug. apud *tr. 19 in Ioan fin.* quem hæc eadem exſtant conceptis terminis. Nec ſolùm non faciunt voluntatem Dei, ſed & *faciunt contra voluntatem Dei.* *cap 10. Enchir. & l. de præd. SS. c. 16.* Et quidem contra voluntatem eius non media ſolùm eligentis ad finem, id eſt, ad ſalutem æternam conducentia, vt eſt mandatorum obſeruatio, nec ſolùm auerſantis impedimenta ſalutis, qualia ſunt peccata; ſed & memoratum finem in omnibus intendentis. *Ex libro de ſpir. & lit. c. 33.* Nam *infideles, qui non credunt Euangelio, non minùs faciunt contra volunta-*

*tem, qua vult Deus omnes homines saluos fieri: quàm serui desides faciant contra voluntatem heri sui, qua vult, vt post diurnum vineæ cultum ad vesperam tandem epulentur & quiescant.*

An hîc dicere licebit, aut credere fas erit dicentibus hanc non esse, nisi voluntatem signi, qua prodat exteriùs velle se, quod nolit Deus interiùs? Nolebat videlicet, vt Angeli primíque parentes ante præuaricationem mandatis sibi impositis obtemperarent. Non vult etiámnum, vt ea seruent, qui propter eorum inobseruantiam tam grauiter, tam iustè plectuntur. Nolebat Christus popularium suorum salutem, cùm queribundus flebiliter exclamaret. *Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* Matth. 23. Cui, scio, quid respondeant. Sed hac de re posteà. Nolebat Spiritus sanctus eorum docilitatem & obedientiam, quos sic increpabat S. Stephanus. *Dura ceruice & incircumcisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis*, aut resistitis ἀντιπίπτετε. Infrà ad argum. 7. Act. 7.

Sit ergo voluntas signi circa mysteria

quædam legalia meliorum præfiguratiua, quale est sacrificium Isaaci, figura Dominici, in quo, vt semper, fuit etiam voluntas beneplaciti. Cùm verò non προστικῶς, sed propriè Deus aliquid pronuntiat, tunc agnoscamus & adoremus voluntatem beneplaciti diuini, ne collabantur religionis nostræ fundamenta. Nam si semel licitum est voluntatem, qua quid Deus fieri mandat, ad externam dumtaxat significationem detorquere, quid certi restabit in scripturis sacris?

Ad alia igitur loca nobis obiecta dicimus, etiam voluntate beneplaciti, quam vocant, velle Deum aliquid extra se duobus modis. Primò tam efficaciter & potenter, vt numquam opere prohibeatur eius intentio. Quod genus voluntatis, etiam inter homines potentes, exprimere solet hæc dictio, *volo*. De eaque procedit illud S. Fulgentij. *Propterea ibi numquam deest voluntatis effectus, quia voluntas ipsa non aliud inuenitur esse, quàm virtus; & cui semper subest, cùm volet, posse, non aliud est in illo velle, quàm posse.* Secundò minùs validè, quia sæpe distinetur operatio; sed tamen

*l. 1. ad Monim. c. 12.*

ſufficienter, quia poſſet actus non ægrè ſubſequi, modò ne deficeret aliqua conditio tam poſſibilis, quàm neceſſaria. Et hic modus vulgò denotatur hac voce, *vellem*; non quo ſenſu vellemus interdum ἀδύνατα, teſte Philoſopho cum experientia; ſed qua mente dicunt iidem viri principes, *vellem*, *aut volo*, ſi modò velit hic inferior, cuius eſt obſecundare voluntati meæ: quamquam illum ad obſequendum mihi, ſibíque prouidendum compellere nolo. *l. 3. Ethic. 1.*

De hac vtraque voluntate ita ſcribit Apoſtolus. *Dei adiutores ſumus*, aut cooperatores συνεργοί. Atqui *adiuuari non poteſt, niſi qui etiam aliquid ſponte conatur: quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis, in quorum natura rationem voluntatémque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis*. Vult itaque Deus electorum ſalutem iuxta primum ſenſum, quia *firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc*, σφραγῖδα, ſigillum, quo pater æternus in ſua præſcientia ratam fixam filiorum ſalutem obſignauit, *cognouit Dominus qui ſunt eius*, aut ſui ipſius, αὐτοῦ. In quam ſententiam cadit etiam dictum illud S. Aug. *Deus no-* *1. Cor. 3.* *l. 2. de pec. mer. & remiſſ. c. 5.* *2. Timoth. 2.* *Ep. 83. med.*

*ster non perit à suis, nec perdet suos*, nimirum vt ille passim loquitur, *Suos vocatos, suos fideles, suos minimos, suos discipulos eosque docibiles, suas oues, suos amicos & electos.* Quibus titulis quia frequentiùs, & magnificentiùs laudat misericordiam Dei singularem erga nonnullos, nulla ratione cogi inde potest, quod tamen isti volunt, aliorum omnium salutem ne vnius quidem cassæ nucis fieri apud illorum, & auctorem, & patrem. Iuxta sensum alterum, quia suam alij salutem, & diuinæ legis obseruationem pessum habent, ideò locis suprà memoratis, posteáque memorandis reprehenditur diuinitùs, & damnatur tanta salutis incuria, & diuinæ legis præuaricatio.

Cæterùm inter vtramque voluntatem hoc distat, quòd inuictissimè, benignissimè tamen, prima semper trahat consensum; secus altera: non quòd Deus nolit, sed quia nolunt homines. Eatenus autem inter vtramque conuenit, quòd sicut illa de facto præcipuum, & finalem parit effectum interuentu auxilij efficacis ex ea prognati; sic altera non adeò sit infœcunda, quin ex ea na-

scantur

ſcantur innumerabiles gratiæ, ſemper parabiles, & ad ſalutem procurandam opportunæ, ſi iis quicunque patiuntur, vti vellent. Quibus ſi fortè vti noluerint, humanam nihilominus voluntatem diuina ſemper ſuperabit, finem ſecundarium ſortitura, quotieſcunque, culpa noſtra, primario fuerit defraudata. *Non ſic enim conſtituta ſunt opera Domini, vt creatura in arbitrio libero conſtituta Creatoris ſuperet voluntatem; etiamſi contra eius faciat voluntatem. Non vult Deus, vt pecces, nam prohibet; tamen ſi peccaueris, non putes hominem feciſſe, quod voluit, & Deo accidiſſe, quod noluit. Sicut enim vult, vt homo non peccet, ita vult peccanti parcere, vt reuertatur & viuat: ita vult poſtremo*, non primariò, *in peccato perſeuerantem punire, vt iuſtitiæ potentiam contumax non euadat. Ita quidquid elegeris omnipotenti non deerit, vnde ſuam de te compleat voluntatem.* In Pſ. 110. ſub med.

Deus ergo vel intendit efficaciter, & determinatè ſalutem electorum; & tunc ea nunquam fruſtratur, vel diſiunctim intendit omnium ſalutem, aut certè, ſi ſaluari noluerint, punitionem; eam verò peccator nunquam effugiet. Atque

ita fit semper alterutro modo diuina voluntas. Hinc etiam euanescit eorum scomma, quo diuinam in omnes benignitatem ita proscindunt. *Rex Iupiter omnibus aequus, & idem introducitur cum parato omnibus auxilio ad manum.*

Ianʃ.to.1. l.9. de har. Pelag.c.2. fin.

## ARGVMETVM II.

*Deum velle, si velis, vana conditio.*

Aiunt enim illam hypothesim, *Si homo velit, si cooperetur*, à Deo pendere, cùm homo nec velle possit, nec operari, nisi Deus hoc dederit. *Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona volũtate*, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, pro beneplacito suo, non merito nostro. Quare frustra dicitur Deum velle, si homo velit; cùm enim illa voluntas hominis sit merum Dei donum, idem est ac si diceres, Deum velle, si Deus velit; quod planè nugatorium est.

Philipp.2.

Hoc argumentum qui proferunt, & inter *grauia* recẽsent expungere debent ipsi in Angelorum, hominúmque cau-

ſa, de quibus nondum collapſis eodem nobiſcum modo ſentiunt. *Habuit Deus generalem voluntatem beneuolentiæ erga omnes, ex qua, quantum in ſe eſt, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibúſque propterea beatitudinis conſequendæ media ſufficientiſsima largitas eſt. Non enim ſolùm ipſis liberum arbitrium, ſed etiam bonam voluntatem, hoc eſt, caritatem dedit, & addidit adiutorium, per quod in ſuſcepta caritate perſeuerare poſſent, & ſine quo perſeuerare non poſſent: ita tamen, vt perſeuerare, & non perſeuerare in eorum libero relinqueretur arbitrio.* In quo nobiſcum tam in ſenſu, quàm in phraſi conueniunt, nec aliter, ac nos, nodum hunc expediunt, dicentes non illis dediſſe Deum, vt ſimpliciter & abſolutè vellent, ſed ſolùm, vt poſſent; quia volebat eorum ſalutem non priori affectu ſuperiùs explicato, ſed altero.

*Ianſ. l. 3. de Gr. Chr. cap. 20. Idem l. 10. cap. 1.*

Quam ſolutionem ex eorum ore non ingratiis excipimus: Deus enim dat nobis ſimpliciter, & abſolutè velle, & operari, cùm vult ſalutem noſtram priori modo; cùm autem vult eam duntaxat poſteriori, tunc non præſtat, vt ſimpliciter & abſolutè velimus, ſed tantùm,

vt possimus, intelligendo non solam potentiam naturalem, sed adiutorium supernaturale, quo possis, & sine quo non possis. Quia verò cum hoc subsidio benè operati sunt Angeli boni, & ante lapsum aliquandiu benè progressi sunt in via Domini illi maiores nostri, sine quo tamen neutri stare, nedum progredi potuissent; idcirco rectè dicitur Deus etiam illis vtrísque, vnde vellent & agerent, dedisse, scilicet in causa non infallibiliter effectum trahente, sed contingenter propter dependentiam à voluntate mutabili, cui magis obnoxium erat illud adiumentum, quàm modò sit in Prædestinatis; sed non magis, quàm sit etiamnum in aliis, quos omnes vult Deus saluos fieri, modò ne reiiciant saluberrimum illud S. August. consilium. *Patere te curari. Ita sanandus.*

*Præf. in Psal. 147. sub med.*

Nec mouet, quòd mutatus sit naturæ status: nam in illa dispari sorte par est, & cooperationis adhibendæ, & conditionis implendæ necessitas, ad efficaciam diuinæ voluntatis in actu secundo, siue ad consecutionem liberi effectus requisita. Quemadmodum hodiéque in hoc naturæ collapsæ statu vult Deus,

quantum est ex se, vt serues mandata, vt abstineas à peccato; & tamen illa voluntas conditionalis, & inefficax non transit in absolutam, & efficacem, nisi per appositionem huius conditionis, *Si velis.*

Cùm autem voluntas illa generalis dicitur conditionata, non ideò negatur in voluntate speciali erga prædestinatos, supponi semper hypothesin cooperationis nostræ, sine qua nihil fit in hoc negotio: vt patet ex innumeris testimoniis S. Aug. vbique docentis, quod in libro de gratia, & libero arbitrio tradit, *cap. 2.* nimirum *ad aliquid faciendum, vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigi, in eóque liberum arbitrium demonstrari.* Quò tendunt etiam hæc testimonia. *Operamur & nos, sed illo operante cooperamur.* Et, *sic operatur homo, vt tamen Deus cooperetur, sine cuius adiutorio, quis est homo?* Item, *facit homo arborem bonam, quando Dei accipit gratiam, non enim se ex malo bonum per seipsum facit, sed ex illo, & in illo, qui semper est bonus, nec tantùm vt arbor sit bona*, id est, vt præfatus erat, voluntas aut intentio, *sed etiam vt faciat fructus bonos*, bonos actus ex ea *l. de Nat. & Grat. cap. 32.* *l. de Grat. Chr. c. 6.* *Ibid. 19.*

voluntate procedentes *eadem gratia necessarium est vt adiuuetur, sine quâ boni aliquid facere non potest.* Et fusiùs libro citato de gratia & libero arbitrio. *Ipse, vt velimus, operatùr incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Vt ergo velimus, sine nobis operatur, cùm autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

cap. 17.

Hæc igitur Dei voluntas dicitur conditionalis, quia magis ad nutum nostrum distinetur illius actio, quàm alterius efficacioris, quæ cum actu semper componitur; cùm altera, quia nostro nos arbitrio, aut in vtramque partem procliui voluntatis æquilibrio magis permittit, ab effectu sæpe seiungatur. Vtrumque porrò quod diximus de libero arbitrio cooperante vel reluctante diuinæ gratiæ disertè confirmat S. Prosper. *Ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, vt etiam à perseueraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat. Alioqui nemo vmquam fidelium recessisset à fide. Neminem concupiscentia vinceret. Neminem tristitia elideret. Nemi-*

l. 2. de voc. gent. c. 9.

*nem iracundia debellaret. Nullius caritas refrigesceret. Nullius patientia frangeretur: & collatam sibi gratiam nemo negligeret. Sed quia hæc possunt fieri, & in consensum talium tentationum facilis nimium procliuisque descensio est, numquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Ita denique concludit. *Igitur sicut qui crediderunt, iuuantur vt in fide maneant; sic & qui nondum crediderunt, iuuantur vt credant: & quemadmodum illi in sua habent potestate vt exeant, ita & isti in sua habent potestate ne veniant: sitque manifestum, quòd diuersis atque innumeris modis omnes homines vult Deus saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur.*

## ARGVMENTVM III.

*Voluntatis illius vniuersalis nullibi scriptura meminit.*

SIcubi fit eius mentio, fit vtique hoc 1. *Timoth.*
loco vulgatissimo. *Deus vult omnes* 2.

*homines saluos fieri.* Quid tamen non dicit S. Aug. vt, saluâ loci illius veritate, vniuersalem illam Dei voluntatem procul à mentibus humanis exterminet? Innumera, quæ super hoc sparsim euulgauit, colliguntur summatim in tria capita. Primum; *vult omnes saluos fieri, qui saluantur, quia nemo, nisi Deo volente, saluabitur.* Secundum; *vult omnes saluos fieri*, sumendo τὸ, *omnes*, distributiuè, non *pro singulis generum, sed pro generibus singulorum*, vt terminis in schola re-
1. p. q. 19. a. 6. ceptis rem exponit D. Thomas post S. Aug. dicentẽ ex omni hominũ genere, ætate, sexu, conditione prædestinatos eligi. Tertium; loquendo secundùm hebraismum Apostolo græcè licet scribenti familiarem, quo ea verborum coniugatio, quam Rabbini vocant, *Hiphil*, non tam sonat actionem, quàm eius causam vel auctorem facere aliquid facientem. Quo sensu S. Aug. interpretatur dictum illud Apostolicum.
Gal. 4. *Misit spiritum filij sui clamantem, Abba,*
l. de corr. *pater. Id est, nos clamare facientem. Si ergo*
& gr. c. 15. *clamantem spiritum rectè dixit scriptura, à quo efficitur vt clamemus; rectè etiam & volentem Deum, à quo efficitur, vt velimus*

*omnes homines saluos fieri.* Nam, vt præmonuerat, *Nescientes quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus caritatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri.* Cùm ergo constanter & vbique locum illum celebrem exponat secundùm aliquem ex tribus iis modis, argumento est ab eo non agnosci voluntatem illam generalem, quæ si esset in Deo, nullam huic loco difficultatem reliquam esse pateretur.

Ad argumentum illud opponimus ea, quibus suprà demonstratum est memoratam voluntatem ab eo tam disertè, tam sæpe confirmari. Vnde illi nobiscum tenentur eum à contradictionis suspicione defendere, dicendo triplicem illam expositionem ab eo toties inculcatam procedere de voluntate speciali erga prædestinatos, non de generali erga alios: aut procedere de voluntate semper effectum sortiente, non de alia syncera quidem, sed tamen, quæ est culpa nostra, inefficaci. Quam semper & vbique supponit & agnoscit S. Aug. etiam afferendo communissimas illas expositiones, vt patet vel in ipsis

l. de præd. S3. c. 8. exemplis ab eo prolatis. *Sicut integrè loquimur, cùm de aliquo literarũ magistro, qui in ciuitate solus est, dicimus. Omnes iste literas docet. Non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicumque ibi literas discit: ita rectè dicimus. Omnes Deus docet venire ad Christum. Non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.* Quam similitudinem vsurpat & alibi exponens, quo sensu Christus omnes liberauerit, quæ difficultas cum præsenti confunditur, non dedignatus addere

l. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 18. exemplum obstetricis. *Tanquam si dicamus; Vna est obstetrix in hac ciuitate, quæ omnes excipit. Et Vnus est hîc literarum magister, qui omnes docet.* Et alibi.

l. 6. contra Iul. c. 24. sub fin. *Sicut possumus dicere in aliquam domum per vnam ianuam intrare omnes: non quia omnes homines intrant in eamdem domum, sed quia nemo intrat, nisi per illam: sic omnes ad vitam per Christum; quia nemo ad vitam, nisi per Christum.* Et alio lo-

l. de cor. & gr. c. 14. co. *Quod scriptum est; vult omnes homines saluos fieri: nec tamen omnes salui fiunt, multis quidem modis intelligi potest. Sed hîc vnum dicam. Id ita dictum, vt intelligantur omnes prædestinati, quia omne genus hominum in eis est. Secundùm istum*

*locutionis modum dictum est. Sicut & ego omnibus per omnia placeo. Numquid enim, qui hoc dixit, placebat etiam tam multis persecutoribus suis?* 1. Cor. 10.

Quæ omnia quamquam effectum in quibusdam specialiter secutum arguāt, non ideò tamen euertunt, sed potius adstruunt Dei beneuolentiam erga plures. Quis enim Doctor nollet plures habere discipulos? Quænam obstetrix non mallet plures excipere? Aut quænam est porta, quæ pluribus, quàm per eam ingressuris non pateat? Nónne & Apostolus, vt omnes Deo lucrifaceret, omnibus placere in Domino voluisset? Sic ergo Deus, qui multos actu saluat, plures tamen saluare vellet. Aliàs qui suam salutem negligunt, non facerent contra voluntatem Dei, vt tamen facere eos S. August. suprà tam luculentè professus est.

Ex his ergo locis, & exemplis probari non potest negatio diuinæ voluntatis in omnes, sed negatio solùm executionis, & effectus, vt assidui lectores obseruant, & ostendunt, vel ex ipso loquendi modo, qui S. Doctori familiaris est. Quærit enim vbique non tam cur Deus, aut

Mediator liberare nolit eos, qui pereũt; quàm cur reipsa, *non liberet, non redimat, non saluet.* Quo sensu dicebat Apostolus
cap. 5. Galatis miserè pereuntibus. *Christus vobis nihil proderit. Euacuati estis à Christo. A gratia excidistis*; id est, exponente locum ibidem S. Augustino, *Christus à vobis, tanquam à possessione, quam tenebat, abscedit.* Quia mors eius propter vos, & pro vobis obita, vobis ab eo redemptis non erit vtilis; idque defectu vestro,
Actor. 13. quandoquidem *indignos vos iudicatis æternæ vitæ*, vobis paratæ, si vultis. Vt Iudæis, ad quos tum Galatæ ex Ethnicis fideles transfugiebant, exprobrat alio loco D. Paulus.

Quia verò ob causas sibi notas scire nos certò Deus noluit, vtram ex memoratis voluntatem in hos, vel illos, aut etiam erga nosmetipsos habeat: Ideò vult, hoc est, vt exponebat S. August. facit nos velle simpliciter, & absolutè omnium salutem, ne quem ex electis fortè prætereat cura nostra, quam procurando diuinæ prædestinationis negotio sæpenumero Deus præstituit. Vnde interpretatio illius auctoritatis Apostolicæ, quam tertio loco S. Aug. afferebat,

nec tendit ad eorum scopum, nec Dei intentum negat non frustra, aut sine affectu dicentis. *Ecce omnes animæ meæ sunt. Vt anima patris, ita & anima filij mea est.* Ezech. 18.

Sed vel ex ipsa paruulorum mentione occasionem arripiunt impugnandi vlterius, vel ad suos sensus detorquendi locum illum D. Pauli. Dum enim scribit velle Deum omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, non intendit velle Deum infantes saluos fieri, si quidem ipsi velint; cùm appositam conditionem explere nequeāt, vtpote libertatis expertes; ob eamque causam in agnitionem veritatis venire non possint. *Quemadmodum ipsi sua taciturnitate loquuntur. Dum nec petunt, nec quærunt, nec pulsant: imò etiam, cùm baptizantur, reclamant, respuunt, reluctantur.* Ad hæc respondemus diuinam salutis puerilis curam ex eo loco nusquam à nobis probatam; sed cùm obiter, & facie tenus, occasione maiorum, occurrentem infantium causam perstringeremus, addidimus iis fauere sancti Patris sententiam, cuius interpres nobis est luculentissimus S. Prosper suprà cita- 

*Ians. l. 3 de Grat. Chr. cap. 10.*

*l. 4. contra Iul c. 8.*

*1. part. c. 8.*

tus. Quanquam, si arduam, & alterius loci ac temporis controuersiam hîc agitare vellemus, huc etiam facere possit prædictus Apostoli locus ad minores simul, & adultos extendendus. Nec allata premit instantia. Nam ad primum; conditio, quam inuoluit implicitè Apostoli locus vniuersaliter sumptus, requirit indiscriminatim, & disiunctiuè aut voluntatem liberam, in quibus est libertas; aut vsum medij diuinitus instituti, in qubus illa deest. Ita vt sit sensus, quod velit Deus saluare, & maiores, si ipsi velint, & minores, si tamen illis applicetur remedium eò destinatum, aut si subueniat aliquod eius fortè deficientis supplemētum. Ad alterum, esto, desit infantibus actualis notitia veritatis, non deest tamen habitualis, vi cuius S. Aug. frequentissimè docet eos credere, aut habere notitiam veritatis. *Quis enim nesciat, credere, esse infantibus baptizari; non credere autem, non baptizari?* Nec ideò solùm *fideles rectè vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur*: sed quatenus illis etiam infunditur habitus diuinæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, cui tamen

*l.1. de pecc. mer. & remiss. c. 27.*

*Ibid. c. 19.*

illos semel baptizatos placere non, dubitamus. Quod ergo dicantur esse *fideles,* Ibid. *aut etiam credere, totum hoc in spe sit vi sacramenti, & diuinæ gratiæ, quam Dominus donauit Ecclesiæ,* vt scilicet per sibi commissam remedij huius administrationem paruulis suis pia mater subuenire valeat.

Ad locum verò, quem ex S. August. subiiciebant, quis non videt ingenuitatem in eius citatione desiderari, aut eos extra scopum collimare? Agit ibi S. Doctor contra Pelagianos interiorem tandem aliquando gratiam admittentes, sed datam non nisi in mercedem præuiæ voluntatis diuinitus exspectatæ, & solius arbitrij nisu præconceptæ. Quod deinde Massilienses, Pelagianorum reliquiæ, mordicus tenuerunt. Hunc igitur errorem diuinæ gratiæ peremptorium, ita refellit. *Hunc sensum vestrum infantes illi ipsa sua taciturnitate conuincunt, aut etiam repugnantia sua.* l.4. contra Iul. c.8. Quod, amabo, quid commune cum hac causa, quid appositum habet ad eam rem, quam hîc vnà cum illis discutimus?

## ARGVMENTVM IV.

*Impugnatur aliunde generalis illa Dei voluntas.*

Ep.2.c.3. ILlud verò D. Petri, *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed* Ians.l.3 cap.10. *omnes ad pœnitentiam reuerti*; dum illi restringunt ad solos prædestinatos cum aliorum fastidio, hæc eorum restrictio seuerior est, minúsque consentanea menti Principis Apostolorum scribentis ad fideles omnes è Iudæa per orbem exsules; ideóque numeratur hæc epistola inter eas, quas nominatim Catholicas appellant. Quos homines hac illac dispersos quanquam initio primæ, κατ' εὐφημίαν, vocet electos, nemo tamen dubitat eorum multos perisse, Deo licet nolente, & inuito, vt iam dixit S. Petrus, tract.89. in Ioan. sub med. quem sequitur S. Aug. cùm ait: *Ille Deo perire dicitur, quisquis à beatitudine per supplicium separatur.* Sicut ego suprà vidimus velle Deum salutem humanam duobus modis; ita iam dicimus velle eundem totidem modis, ne damnentur homines

homines vlli, nempe voluntate vel absoluta, vel conditionali. De prima procedit illud S. Fulgentij. *Deus non vult aliquem perire, eorum scilicet, quos prædestinauit. Istorum nemo perit. Voluntati enim eius quis resistit?* De secunda loquebatur S. August. iam proximè, supráque sæpius à nobis citatus, & infrà citandus, vbi dixit, æternúmque fatebitur velle Deum omnium salutem, affectu licet non vsquequaque consimili, nec velle, imò nolle positiuè vllius ruinam, quam videlicet suæ iacturæ deputet.

S. Fulg. l. 2. de remiss. pecc. c. 2.

Sed vlteriùs premimur auctoritate S. Patris post scripturam dicentis de adultis, nolle Deum, vt saluentur, quicumque pereunt; in eúmque finem afferunt illud Enchiridij, vbi de Tyriis inter Ethnicos famosissimis. *Nec vtique Deus iniustè noluit saluos fieri, cùm possent salui esse, si vellent.* Ad quæ similiáque dicimus non id voluisse Deum ea voluntate, quâ specialiter salui fierent; voluisse tamen ea voluntate, quâ salui esse possent, si vellent. Siue, quod idem est, non voluisse ea voluntate speciali, quâ *Deo volenti saluum facere, nullum hominis re-*

Iansf. l. 3. c. 20.

l. de corr. & gr. c. 14.

*sistit arbitrium*; voluisse tamen ea beneuolentia, quam nisi in Deo supponeret magis, quàm adstruendam iudicaret, aut nisi cum ea ex eaque profectam gratiam generalem agnosceret, quomodo diceret adeóque repeteret sub finem vitæ *potuisse Tyrios saluos esse, si voluissent?*
cap. 95. Enchir. Quomodo Deũ iustificaret eos propterea damnantem, quia salutem paratissimam exitio posthabuerunt? Eadem facilitate dissipantur ea loca, quibus significari videtur noluisse Deum, vt aliqui nominatim conuerterentur. Verbi causa; cùm D. Paulus & Timotheus in Bithyniam profecturi
Act. 16. *vetati sunt à spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia*, & compulsi ire in Macedoniam, vt ex scriptura refert S. Prosper respondens ad illud Collatoris. *Hæc ergo cogitatio, &c.* Vbi, dum prohibetur Paulus eò contendere, non dicitur Deus inde recedere, nec impeditur diuinæ gratiæ apud eas Gentes largitio, quæ legationis Apostolicæ defectum æquè suppleat, ac iubeat. Deus enim vbique præsentissimus, vbique misericordissimus omnibus vbique loquitur, vbique omnes illuminat modò per se, modò per subiectam sibi crea-

turam, ſed numquam ſine ſe. Sic enim *Cœli enarrant gloriam Dei:* Et, *inuiſibilia ipſius per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles.* Vnde ibi S. Aug. initio ſecundæ expoſitionis ſuper hanc Epiſtolam ab eo conſcriptæ, *ſi gratias egiſſent Deo, qui dederat hanc ſapientiam, non aliquid tribuiſſent cogitationibus ſuis.* Et copioſiùs ac liberiùs S. Proſper. *Ne in præteritis quidem ſeculis hæc eadem gratia, quæ poſt Domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem vbique diffuſa eſt, & de quâ ſcriptum eſt, illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, defuit mundo: quamuis enim ſpeciali cura atque indulgentia Dei populum Iſraëliticum conſtet electum, omnéſque aliæ nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundùm propriam permiſſæ ſint viuere voluntatem: non ita ſe tamen æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus auertit, vt eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum nullis ſignificationibus admoneret. Cœlum quippe & terra ac mare, omniſque creatura, quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de*

*Pſ. 18.*

Rom. 1.

*l. 2. de voc. gent. c. 1. fin.*

*experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum ad cultum & dilectionem sui imbueretur auctoris. Quoniam etsi est longè à peccatoribus salus, præsentiâ tamen salutis ipsius ac virtute nihil vacuum est.* Ex quo fit manifestum scientissimum illum Augustinianæ mentis interpretem, & in hac controuersia acceptissimum etiam aduersæ parti arbitrum non loqui tantùm de beneficiis externis & naturalibus, sed internis potissimum ordinéque ac omni gradu naturæ superioribus. Vnde pergit. *Igitur, sicut dicit Propheta, misericordia* Domini *plena est terra; quæ nullis vmquam seculis, nullis generationibus defuit, eámque prouidentiam, quâ vniuersitatem rerum administrat & continet, regendis alendisque naturis semper impēdit, dispositum habens ex incommutabilis æternitate consilij, quibus quidque temporibus distribueret, & multiformis gratiæ suæ inscrutabiles inuestigabilésque mensuras per quæ dona ac Sacramenta variaret. Sicut enim ista gratiæ largitas, quæ in omnes gentes nouissimè effluxit, non euacuat eam, quæ super vnum Israël sub lege rorauit, nec præsentes diuitiæ fidem præteritæ abrogant parcitati: ita nec de illa cura* Dei, *quæ Pa-*

Psal. 32.

*triarcharum filijs propriè præsidebat, conijciendum est gubernacula diuinæ prouidentiæ cæteris hominibus fuisse subtracta. Qui quidem in comparatione electorum videntur abiecti, sed numquam sunt manifestis occultisque beneficijs abdicati.* Non puto causam hanc clarius illustrari posse, si vel radiis solaribus ob omnium oculos, & in omnium animis inscriberetur.

Placet tamen addere comitem Patri iam laudato. Is erit Paulus Orosius illi σύγχρονος καὶ συμπαθής. His ergo cùm ex libro Iob mentionem fecisset Dæmonis omnia passim circumeuntis & prædam vbique quærentis, hæc posteà subdit. *Adhuc vniuersa gentilitas Dei notitiam non habebat, & iam tamen diabolus circuiens terram, omnia, quæ sub cælo sunt, peragrabat, atque ad seducendum & disperdendum humanum genus incessabili malitiæ suæ solicitudine ferebatur. Itaque cùm videas hominibus ignaris tantam diaboli incubuisse nequitiam in disperdendum, nullam hinc credis* Dei *in custodiendo gratiam præfuisse? Aut fortè frustrà dictum putas; Domini est terra & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo?* Vnde concludit *adesse adiutorium Dei & per singula & per singulos.* Quod anteà

*Lib. de arbitr. libert. sub med.*

proposuerat in hunc modum. *Quantum ergo de Dei adiutorio gaudeam, per id metire, quòd ministrari per singula etiam gentibus probo.* Et, *habes, vt arbitror, etiam in gentibus sufficientem cooperantis gratiæ probationem.* Ecce tibi, ex tanto pectore, ceu limpido veritatis fonte, quid hauserint, quod ad nos vsque, & vlteriùs transfunderent, illi S. Patris tam celebres tunc Discipuli, aliorum postea Doctores futuri, necnon ambabus partibus tam optabiles, quàm æqui hodiernæ litis arbitri.

## ARGVMENTVM V.

### *Voluntatem illam Dei generalem amplectuntur inimici gratiæ.*

NOn leue opinioni præiudicium inferri ex eo censent, quod in expositione loci illius Apostolici, quo dicitur *Deus velle, vt omnes salui fiant*; nobis assentiantur hæretici. Quos inter primas tenere volunt Commentatorem illum in epistolas D. Pauli, quem Ambrosia-

*Ians. l. 3. de Grat. Chr. cap. 20. & l. 8. de hæresi Pelag. cap. 2. & 3.*

ſtrum vocitant, quod ſub venerabili S. Ambroſij nomine ignominioſum Pelagium tegat. Idem de Maſſilienſibus, probant auctoritate SS. Proſperi & Hilarij deprompta ex epiſtolis hac de re conſcriptis, nullíque incognitis. *Propoſitum hoc ita definiunt, vt Deus conſtituerit ad hoc ſalutis donum omnes homines vniuerſaliter vocari. Vt & qui voluerint, fiant filij Dei, & inexcuſabiles ſint, qui fideles eſſe noluerint; quia iuſtitia Dei in eo ſit, vt, qui non crediderint, pereant; bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita, ſed indifferenter vniuerſos velit ſaluos fieri.* Et paulò pòſt ſubdit ex eorum doctrina, *non vacillare illud, quòd Deus velit omnes homines ſaluos fieri.* Alter autem. *Inde eſt, quòd illius ſententiæ, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, expoſitionem non eam, quæ à te deprompta eſt, ſuſcipiant; ſed quòd omnes omnino homines Deus ſaluos fieri velit, vt nullus habeatur exceptus.*

S. Proſper ſub med. epiſt.

S. Hilar. ſub med. epiſt.

Totum hoc breuiter diſſolui poſſet eadem arte, qua nonnullorum obiectionem refellit illuſtris ille Doctor, & Antiſtes. Dicentibus enim eam gratiæ, & liberi arbitrij concordiam, quam affert aliorum ſenſus repugnantem, à Caluini

l. 8. de Gr. Chr. c. 21.

sententia non differre, scitè respondet, *non omnia, quæ hæretici docent, esse hæretica.* Non est enim hæresis vlla, quæ in omnibus erret, aut quæ *aliqua vera falsis non intermisceat*, vt ait S. Aug. qui hæresim in eo lepræ cōparat, quòd neutra totum corrumpat: In eúmque sensum interpretatur illud Dauidicum: *Quia in multis erant mecum.* Vbi Ecclesiam ita loquentem inducit. *In multis erant mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum.*

*l. 2 qq. Euangelic. cap. 40.*

*In Ps. 54. post med.*

Notantur illi tamen ecclesiasticâ censurâ quòd Pelagius consentiens Apostolo circa voluntatem saluandi omnes, & admittens gratiam naturalis ordinis, nempe libertatem; aut etiam diuini, sed externam duntaxat, vt legem & exempla: nusquam tamen agnouerit internæ veréque Christianæ gratiæ necessitatem; aut si quando Conciliorum, & Pontificum auctoritate censuráve coactus fuerit interiorem profiteri, vt sæpe fecit, saltem ore tenus; deinde tamen ingenium illud versatile Proteóque transformabilius primò clanculum, postea palam omnibus dictum

ſuum expoſuerit de neceſſitate gratiæ ad præteritam peccatorum condonationem, non ad futuram deinceps operationem. Vt habes in libro de geſtis Pelagij, & ad calcem illius, quem aliquantò pòſt edidit de Hæreſibus. *cap.35.*

Quòd ſicubi fortè meminit interioris gratiæ ad actus bonos prærequiſitæ; vult eam cadere ſub meritum humanum, ac proinde ne primam quidem gratiam eſſe gratiam, ſed mercedem. Vt diſertè traditur in libro de gratia, & libero arbitrio. Vbi Pelagiani dicuntur, *talia de ſcripturis colligere, quale eſt hoc. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Vt ſecundum meritum conuerſionis noſtræ ad Deum, detur gratia eius, in qua ad nos & ipſe conuertitur.* *cap.5.* *Zach.1.*

Quod poſtea dogma, pars ſemiſſis Pelagianorum, Maſſiliences, & Lirinenſês aliqui, κατὰ συνεκδοχὴν δύσφημον, Gallorum nomine famoſi, reiectis multis aliis erroribus infamis illius Scoti, cùm hæreditatem ex aſſe adire non auderent, velut vnciam, aut ſextantem, aut veriùs ſemiſſem admiſerunt. Vnde dicebant ſic à Deo voluntates humanas exſpectari, vt nemini det primam gratiam, niſi

proprio conatu, vel credere volenti, vel etiam actu credenti: In qua sententia aliquandiu fuit S. Aug. initio conuersionis suæ. *Errabam aliàs putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei; sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant ante Episcopatum meum scripta.*

*L. de præd. SS. c. 33.*

Hanc fuisse mentem Prouincialium illorum constat, vel ex ipsis epistolis contra nos modò productis. Sic enim scribit S. Prosper. *Quidam horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, vt velint nos ad gratiam peruenire per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulsando, vt ideò quis accipiat, ideò inueniat, ideò introeat, quia bono naturæ benè vsus ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit peruenire.* Sic etiam S. Hilarius. *Nullam ita deprauatam, vel extinctam naturam putant, vt non debeat, vel possit se velle sanari, propter quod vel sanetur quis à sua, vel, si noluerit, cum sua ægritudine puniatur: nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat.* Et paulò post ex-

*Ep. 6. sub med.*

*S. Hilar. init. epist.*

planat præruptam eorum mentem circa perſeuerantiam. *Nolunt ita hanc perſeuerantiam prædicari, vt non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poßit.*

Ita quoque diſertè inter Semipelagianos Caſſianus dicens, per primam gratiam diuinitùs *Iuuári voluntatem bonam, quam conatu noſtro viderit Deus emerſiſſe.* Præterea, *quòd Deus exſpectet nos, vt miſereatur noſtri.* Qui tamen eius error, quia pertinaciæ vacuus, hæreſis non eſt. Ideóque ſic illum alloquitur S. Proſper. *Doctor Catholice, cur profeßionem tuam deſeris? Cur ad fumoſam falſitatis caliginem relicta ſereniſſimæ veritatis luce deuolueris? Quod in petentibus, quærentibus pulſantibúſque miraris, cur non eidem gratiæ, qua deſideratur, adſcribis? Vides bonos conatus, pia ſtudia; & dubitas eſſe Dei donā?* Idem etiam obſtinatius aſſeuerat ſub illa tempora Maſſilienſium Anteſignanus Fauſtus Epiſcopus Regienſis, in Prouincia. Sic enim inter alia refert in ea profeſſione fidei, quàm prologi vice ad frontem operis haſta, vel obelo ſpongiáve digni proſcribit. Prima Dei gratia, vel *miſericordia fide, & operibus promerenda eſt.* Quod toto opere ſæpius in-

Collat. 13. cap. 8. cap. 12.

lib. contra collat.

proprio conatu, vel credere volenti, vel etiam actu credenti: In qua sententia aliquandiu fuit S. Aug. initio conuersionis suæ. *Errabam aliàs putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei; sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant ante Episcopatum meum scripta.*

L. de præd. SS. c. 33.

Hanc fuisse mentem Prouincialium illorum constat, vel ex ipsis epistolis contra nos modò productis. Sic enim scribit S. Prosper. *Quidam horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, vt velint nos ad gratiam peruenire per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulsando, vt ideò quis accipiat, ideò inueniat, ideò introeat, quia bono naturæ benè vsus ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit peruenire.* Sic etiam S. Hilarius. *Nullam ita deprauatam, vel extinctam naturam putant, vt non debeat, vel possit se velle sanari, propter quod vel sanetur quis à sua, vel, si noluerit, cum sua ægritudine puniatur: nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat.* Et paulò post ex-

Ep. 6. sub med.

S. Hilar. init. epist.

planat præruptam eorum mentem circa perseuerantiam. *Nolunt ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter poßit.*

Ita quoque disertè inter Semipelagianos Cassianus dicens, per primam gratiam diuinitùs *Iuuari voluntatem bonam, quam conatu nostro viderit Deus emerKsisse.* Collat. 13. cap. 8. Præterea, *quòd Deus exspectet nos, vt misereatur nostri.* cap. 12. Qui tamen eius error, quia pertinaciæ vacuus, hæresis non est. Ideóque sic illum alloquitur S. Prosper. *Doctor Catholice, cur professionem tuam deseris? Cur ad fumosam falsitatis caliginem relicta serenissimæ veritatis luce deuolueris? Quod in petentibus, quærentibus pulsantibúsque miraris, cur non eidem gratiæ, qua desideratur, adscribis? Vides bonos conatus, pia studia; & dubitas esse Dei donā?* lib. contra collat. Idem etiam obstinatius asseuerat sub illa tempora Massiliensium Antesignanus Faustus Episcopus Regiensis, in Prouincia. Sic enim inter alia refert in ea professione fidei, quam prologi vice ad frontem operis hasta, vel obelo spongiáve digni proscribit. Prima Dei gratia, vel *misericordia fide, & operibus promerenda est.* Quod toto opere sæpius in-

culcat; vt ibi videre est, nec non apud Ioannem Maxentium, qui præcipuos eius errores circa primam gratiam collegit, & ex doctrina S. Aug. non inscitè confutauit.

*tom.4. Biblioth.patr.*

Sic ergo dicebant velle Deum omnes saluari, si ipsi vellent, vt salutis, & initium, & finis caderet sub meritum humanum, nec esset speciale Dei donum. Contra duos illos errores habemus duas lucubrationes, S. Aug. iam annosi. Primus confutatur toto libro de prædestinatione SS. vbi probat diuini muneris esse fidem, *Primogenitam illam cordis nostri*, ad alta suspirantis; aut iuxta dictum Concilij Tridentini, *initium, fundamentum, & radicem omnis iustificationis nostræ.* Alter refellitur toto libro de dono perseuerantiæ, vbi demonstratur illum esse effectum diuinæ gratiæ: non ita tamen, quin aliquo sensu cadere possit sub meritum voluntatis humanæ per gratiam adiutæ. *Hoc enim Dei donum suppliciter emereri potest, sed cùm datum fuerit cõtumaciter amitti non potest.* Hoc tamen qualecúmque meritum nihil certi nobis absque speciali reuelatione, quæ raò fit, polliceri posse *fide*, certum est.

*tom.10. fragm.2.*

*s.6.cap.8.*

*l.de don. pers.c.6.*

*Trid.sess.6. can.16.*

En breuiter, quid notet in illis Ecclesiæ censura. Quod enim attinet ad generalem Dei voluntatem liberandi omnes, si modò gratiam auxiliarẽ, non reiecerint, certò constat eam non esse contrariam sensui, vel Ecclesiæ in vniuersum, vel inter eius filios natu maiores Augustini omnium maximi: qui licet vsque eò sustollat aliam specialem erga Dei gratiosos, & electos, vt quoties ex professo sermonem de ea facit, videatur esse totus in eius commendatione, & hanc altiùs efferendo, humiliùs alteram eleuare: alibi tamen frequentissimè meminit, & alerius, non solùm disputando de natura nondum lapsâ tam Angelorum, quàm hominum, quod nullus negat; sed etiam de hac nostra quantumuis deprauata, vt iam sæpe vidimus, &, nisi prohiberet motus prolixitatis, & tædij, pluribus confirmare possemus. Vnde qui peculiare illud Dei propositum erga quosdam *rigidum* appellant, deberent potius rigorem illum mitigare adspergendo temperatè, & humaniter aliquid diuinæ benignitatis erga alios, mitiùs paulò quàm iumenta tractando, quos, velint nolint rigi-

*Iansl.l.3.de Grat Chr. cap.10.p.*

*Idem. l.10.de Gr. Chr.c.16.*

diores isti diuinæ beneuolentiæ, & liberalitatis æstimatores, Deus si non tam arctè ac alios, amplectitur tamen, vt pater, curare vult vt medicus: *Sed opus est, vt tu curari velis; vt manus eius non refugias*: liberare vult vt Saluator, ideóque iuberis illicita fugere, honesta prosequi; sed necesse est imperium ne detrectes, secundùm illud commune dictum: *Qui fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem.* Quò tendit etiam illud Fulgentij. *Hoc est salutis opus in adultis, vt voluntas gratiæ secum operanti seruitium obedientiæ cooperatricis exhibeat.*

In ps. 58. sub fin.

Serm. 15. de verb. Apost. c. 11.

S. Fulg. l. de Incar. & gr. Chr. c. 30.

---

## ARGVMENTVM VI.

### *Christus nonnisi propter Electos mortuus.*

Ians. l. 3. de gr. Chr. c. 21. fin.

HOc inde potissimùm probant. Primò quòd Deo nullius nisi electorum salus cordi sit. Ex quo sequitur Christum Patri concordissimum aliorum ergò non venisse. Quòd si quando fiunt participes gratiæ baptismatis aut

alterius, id euenire dicunt per accidens, quia permiſcentur exterius cum electis, quibuſcum non vt inuitati, ſed vt vocatorum vmbræ admittuntur aliquoties ad conuiuium temporale, ab eo poſtmodum æternóque infallibiliter expellendi. Id prætereà vel ex eo confirmant, quòd inimici gratiæ & aduentum & mortem Domini ad omnium vtilitatem & ſalutem extenderint: quod quidem iſti graue præiudicium contra nos eſſe ſuperiùs prædicabant. *Ibid. p.*

Verùm hoc vtrumque fundamentum iam corruit, cùm ſuprà ſtatutum ſit ex doctrina S. Auguſt. & diſcipulorum eius, velle Deum verè & ſine fuco, vt omnes ſalui fiant, ideóque Chriſtum patri ſuo ſemper vnanimem propter omnes obiiſſe. Cùm vlteriùs demonſtratum ſit prædictas hæreſes non conſiſtere in confeſſione generalis illius voluntatis & redemptionis, ſed in negatione aut adulteratione illius gratiæ, quam ſuis laboribus ſanguinéque redemptor nobis promeruit. *Arg. 5.*

Afferunt & quædam alia loca, qualia ſunt: *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi.* Vbi S. Auguſt. quia mun- *Ioan. 17.*

er. 107. dus alibi sumitur in vtramque partem, sic habet. *Mundum vult modò intelligi, qui non sunt in ea sorte gratiæ, vt ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo, sed pro his, quos ei Pater dedit, rogare se*
r. 110. *dicit.* Et posteà. *Ecce qui dixerat non pro mundo rogo, pro mundo rogat, vt credat: quoniam est mundus, de quo scriptum est, ne cùm hoc mundo damnemur; pro isto mundo non rogat. Et est mundus, de quo scriptum est, venit filius hominis, vt saluetur mun-*
Ioan. 3. *dus per ipsum.* Cur autem pro primo illo non oret, affert ibi rationem. *Neque enim, quò sit prædestinatus, ignorat.* Quod hominum genus si perinde, ac sponsus, sponsa discerneret, sese illa pro iis num-
l. 21. de Ciu c. 24. quam Deo supplicem ferret. *Si certa esset Ecclesia, quinam, adhuc in hac vita constituti, prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus.*

Hæc dum obijciunt, videntur quasi spongiam obtendere, quâ tot auctoritates inducamus & obliteremus, quæ suprà bonis mentibus nec plus nimio contentiosis inscriptam relinquant hanc veritatem, nimirum precibus suis non

peper-

pepercisse, qui nec lacrymis nec sanguini etiam propter homines abusuros profuso pepercit. Cur ergo negatur pro illis orasse? An dicemus eum non orasse efficaciter, vt illis impetraret à Patre auxilium, *Quo*; sed tamen orasse sufficienter, vt illis obtineret auxilium, *sine quo non*? Prompta solutio, eáque acceptabilis; nisi suprà testaretur S. Aug. ideò pro illis Christum non orasse, quia non ignorabat illos à Patre ad pœnã præscitos esse; addens, hoc si sciret Ecclesia, sese pro illis non supplicem magis exhibituram, quàm pro Dæmonibus, hominibúsque damnatis, quibus tamen gratiam vel sufficientem à Deo petere quis ausit? Quare aliter respondendum. Nempe quando Christus non orabat pro mundo, iam prospexisse mundum vt præscitum à Deo & propter peccata vel hæreditaria, vel addita alterutro genere pœnæ condemnatum, nondum quidem exteriùs in executione, sed interiùs in mente & intentione diuina, consequenter tamen ad præuisionem perseuerantiæ finalis in huiuscemodi peccatis. Quo sensu mundus iam erat damnatus secundum illud Isaiæ toties

citatum à S. August. ex illis septuaginta senioribus, *fecit Deus quæ futura sunt.* Cùm autem orabat pro mundo perituro, respexit illum in eo statu, quo nondum præuidebatur à Deo, pro tali signo rationis, quod vocant, mortuus in peccato finali, & quo proinde posset adhuc saluari. Deus enim in suis decretis æternis ante præuisum finale peccatum vult omnes saluare, posteà verò neminem: cùm hoc discriminis inter prædestinationem ad gratiam, & ad pœnam intercedat, quòd prima meritum propriè dictum præueniat, secunda subsequatur; fatentibus etiam illis, quos ratione & auctoritate compulsi relinquere cogimur, idque confirmantibus ex doctrina S. Aug. & communi Ecclesiæ sensu.

*l. de præd. SS. c. 10. & alibi ex Is. 45.*

*Iansf. l. 8. de hæresi Pelag. c. 23.*

Ad id verò quod addunt ex Domini testimonio. *Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex iis periit.* Quem locum refert S. August. scribens ad Euodium. *Non perit vnus ex illis, pro quibus mortuus est Christus.* Ad illud quoque quod annectunt ex quodam fragmento. *Etsi laniatur, etsi laceratur caro: quando perit, qui sanguine Christi redemptus est? Potens homo non potest perdere, quod emit auro suo;*

*Io. 17.*

*Ep. 102. ante med. Serm. 8. inter Patris.*

*& Christus perdit, quod emit sanguine suo:* Respondeant ipsi, quomodo Iudas, quomodo tam multi pereunt, quorum gratia S. August. suprà sæpe disertéque docuit mortuum esse Redemptorem. Vt igitur amoueatur contradictionis periculum aut suspicio, firmissimè tenendum est locis iam allatis sermonem esse de voluntate efficaci, quâ Christus Dominus non solùm mori voluit, sed & morte sua prodesse suis.

Sicut enim antè probatum est in Deo duplex esse genus intentionis circa salutem humanam; vnum generale, quod sæpe priuatur intento vel effectu; alterum speciale, quod numquam impeditur aut infructuosum est *in filijs Dei in memoriali patris sui inconcussa stabilitate conscriptis*: ita duplex est intentio Mediatoris; vna generalis, quæ facilè prohiberi potest effectu, de quâ sic Apostolus. *Christus vobis nihil proderit. Euacuati istis à Christo* κατηργήθητε, aboliti & frustrati meritis eius pro vobis quidem mortui, sed inutiliter, quæ vestra est socordia, propter quam *Christus à vobis tanquam à possessione, quam tenebat, abscedit.* Altera specialis, quæ sterilis omni-

l. de cor. & gr. c. 9.

Gal. 5.

S. Aug. in c. 5. ad Galat.

nò esse nescit, de eaque intelliguntur loca nobis obiecta; quibus addere placet illud S. Prosperi vtramque Mediatoris intentionem sic explicantis. *Cùm rectissimè dicatur Saluator pro totum mundi redemptione crucifixus, potest tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* Et vt alibi tradit, *dici potest Christus pro illis propriè mortuus, penes quos est redemptionis proprietas*, aut fructus: *quamquam rectè omnes dicantur redempti.* Ex quo cognoscis per particulam exclusiuam, *tantùm*, non negari generalem Redemptoris affectum erga alios, pro quibus fatetur eum *rectissimè* dici crucifixum, sed tantummodò redemptionis *proprietatem* in applicatione dominicæ mortis consistentem & solis prædestinatis reseruatam; Iuxta quem sensum mori pro aliquo idem est, ac illi moriendo prodesse, vt ante illum docuerat S. August. vbi de initiis fidei nostræ. *Christus cùm semel sit mortuus, tamen pro vnoquoque tunc moritur, quando in eius morte baptisatur, id est, tunc ei proderit mors eius.* Vbi mentem suam perspicuè nobis dilucidat dicendo tunc *mori Christum* propter aliquem, cùm ei mors

*Ad cap. Gall. obiect. 9.*

Ad 1. obiect. Vinc.

*l. 6. contra Iul. c. 25.*

eius, aut fructus passionis applicatur: & à contrario si cui non applicatur redemptio, tunc illius causa non mori, id est, vt ipsemet seipsum interpretatur, non ei *prodesse*, quibus quis non videt negari non diuinam beneuolentiam, quam sæpissimè commemorat variis in locis, in aliis verò semper & vbique supponit; sed negari solùm eius effectum, quem culpa nostra toties inhiberi dolendum est. Eodem planè sensu loquitur enarrando vocem hanc aut querimoniam Christi Domini apud Psaltem Regem. *Tota die expandi manus meas.* Vbi S. Aug. *Solis prædestinatis ad æternam salutem, non autem omnibus eius bona opera profuerunt.* *In ps. 87. post med.* Et statim in illud, *Numquid mortuis facies mirabilia? Corde mortuis per peccatum facta non sunt mirabilia; non quòd non facta sint, aut quod ea ipsi non viderint: sed quòd eos ad vitam fidei ea non monuerint, non eis profuerint, quòd per ea non reuixerint*: non autem quòd reuiuiscere non potuerint, eo viuificante, qui dixit. *Ego sum via, veritas, & vita*; nimirum vniuersalis, quæ nulli vnquam defuit, *Ioan 14.* teste S. Aug. contra Porphyrium in libris de Ciuitate & alibi, *l. 10 c. 31. & Ep. 49. q. 2.*

## ARGVMETVM VII.

### *Vrgetur assertio superior de morte Christi pro solis electis.*

EX dictis expediuntur multa, quæ contra nos militare videntur. Vt cùm Christus dicitur *illuminare omnem hominem*; hoc est, omnem, qui illuminatur, vt non semel explicat S. August. Quo tamen loquendi modo non negat voluntatem illuminandi alios, de qua toties eum loquentem audiuimus, & propter quam alicubi Christum appellat *commune lumen*; sed ait contra Pelagianos non aliunde illuminari, quicumque probè sanéque videt. Eadem facilitate mens eius exponitur in hæc similiáque loca. *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Quod passim de conuersis Iudæis interpretatur, nempe quoad effectum, saluo tamen affectu in alios, secundùm illud. *Iudæi non hoc dederunt, quod Christus in cruce positus sitiebat, ipsos enim ille sitiebat, at illi acetum dederunt.* Item cùm ille dicitur esse *pro-*

Ep.120.c. 28.

Luc. 23. In ps. 61.

1. Ioan. 2.

*pitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi,* quatenus *est mortuus non tantùm pro gente* illa Iudaica, *sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Quod dictum esse vult S. August. *propter fideles per orbem sparsos, aut propter triticum, quod est per totum mundum.* Quò refertur etiam illud. *Vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Vbi particulæ *pro, propter, vt,* & similes semper intentum supponentes, nihil aliud sonant quàm euentum; qui quoniam multis non succedit, ideò propter illos apud S. August. ab iis *eodem loco* citatum Christus negatur esse mortuus, efficaciter putà & salubriter in actu secundo. Atque ita manifestum relinquitur id quod in gratiam electorum scripsit in eum Matthæi locum. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Sicut certum est Ierusalem filios suos ab illo colligi noluisse; ita certum est eum, etiam ipsa nolente, quoscumque eorum voluit collegisse,* nempe quoscumque voluit efficaciter congregare.

*Ioan. 11.* *tr. 5. in Ep. Io. sub fin. & ep. 48. post med.* *Luc. 8.* *Iansf. l. 3. de gr. Chr. c. 21.* *cap. 23.* *l. 1. oper. inch. contra Iul. c. 91.*

Eodem modo refellitur, quod obtendunt auctoritate Ecclesiæ Lugdunensis *Iansf. eod. cap. 21.*

apud Remigium illius Antistitem; nam vndique suffragia sibi captant; sic etiam euanescit, quod intendunt ex definitione Concilij Valentini, *Christum videlicet propter omnes non obiisse*, sensus enim est illum non esse mortuum ex intentione infallibili procurandæ salutis omnium, at eius mortem omnibus non prodesse. In eandem sententiam S. Aug.

*Rom. 5.* exponit dictum illud Apostolicum. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.*

I. Cor. 15. Et alio loco. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Vbi signum illud vniuersale, *omnes*, sic intelligi debet, vt priori loco

*l. 13. de Ciu. c. 23.* latiùs pateat, quàm posteriori. *Non enim omnes, qui in Adam moriuntur, membra erunt Christi; Ex illis enim multò plures secunda in æternum morte plectentur: sed ideò dictum est, omnes atque omnes, quia sicut nemo corpore animali nisi in Adam moritur, ita nemo corpore spiritali nisi in Christo viuificatur.* Non igitur euertit Dei bonitatem erga perituros, quam alibi tot locis passim adstruit; sed debet eius executionem non sequi, vt

patet ex ipsis terminis, quos vsurpat post D. Paulum. *Omnes moriuntur, viuificantur*, quibus denotatur actus secundus. His, vt suprà dixi, congruunt illæ quæstiones apud eum frequentissimæ. *Curnon omnes liberentur, redimantur, saluentur.* Id est, cur in omnibus non sequatur effectus, cùm tamen omnes præueniat & complectatur Dei simul ac mediatoris affectus, absimilis quidem, sed tamen ingenuus, natiuus, & absque eo fuco, quem ei conantur allinere.

Hæc porrò doctrina non solùm ex priuatis eius principiis eruitur, sed & ex generali definitione totius Ecclesiæ cum eo rem decernentis his verbis. *Etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; sed ij duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur.* Conc. Trid. s.6.cap. 3. Quo decreto statutum esse vides Christi mortem pro omnibus quidem oppetitam esse, omnibus tamen non prodesse. Quod quia negare aduersarij nec audent, nec possunt, salua fide, quam vita, moribus, obsequio erga matrem Ecclesiam sæpius iterato tum scriptis, tum supremo deni-

que testamento religiosè profitentur: alia quærunt effugia causati *Christum dedisse semetipsum redemptionem pro omnibus, hoc est, pretium ἀντίλυτρον, omninò sufficienter, quia sufficiens pretium obtulit; non tamen pro omnibus omninò efficienter, quia non omnibus applicatur ista redemptio.* Qui loquendi modus fucosus est, non genuinus; cùm in speciem videatur communi veræque sententiæ consonare, à quâ tamen reapse longè dissonet. Nihil enim aliud volunt, nisi redemptionis pretium sufficere & satis ex se supérque valere ad redimendos omnes, non tamen oblatum fuisse ex animo redimendi omnes. Quorum primum dubium esse non potest, cùm propter infinitè perfectam Redemptoris personam hypostaticè vnitam naturæ nostræ, redemptionis valor infinitus sit, ac proinde, Apostolo teste, *superabundet* ad redimendum quidquid venditum est, aut etiam venale. Alterum nec tutò dici potest, nec certò credi: sic enim, posito valore pretij, & seposita voluntate redimendi, sequeretur Christum esse perinde mortuum pro dæmonibus & damnatis; quia quamquam non eo,

*Ians. l. 3. de gr. Chr. c. 21. ex 1. Timoth. c. 2.*

*Rom. 5.*

gitauerit de eorum redemptione, ſoluit tamen pretium, quod iis redimendis ſatis eſſe poſſet. Quod conſequens ex antecedente ab iis dato deductum abſurdius eſt, quàm vt iis vlliue ſanè ſentienti probari poſſit.

Quapropter videntes huius teli fragilitatem aut præſentientes illud in ſe manu facili repercuti poſſe, aliud machinæ genus admouet depromptum ex eodem armamentario, de quo ſuprà fusè diſſeruimus. Putà mortuum eſſe Christum pro omnibus hominum generibus, regibus, priuatis, doctis, indoctis: itémque pro omnibus, hoc eſt, pro hominibus omnium nationum. Quod idem eſt, ac ſi compendioſiùs dicerent pro ſolis electis, verùm in fumum iam pridem abiit totum hoc machinamentum; aut ſiqua dubitationis adhuc ſcintilla ſubluceat, eam extinguit memorata definitio totius Eccleſiæ credentis, ſuóſque docentis veniſſe Dei filium & propter electos, quibus ſaluti fuit eius aduentus, & propter alios, per quos niſi ſtitiſſet, mors Domini ex vero morientis animo ſalubris iiſdem fuiſſet.

*Ianſ. eod. c. 21. ſub init.*

*Conc. Trid ſeſ. 6. cap. 3.*

## ARGVMENTVM VIII.

*Non eadem gratia naturæ læsæ ac sanæ.*

SIcut pharmacum, quo curamur, negant Physici post eósque Medici ægris alimentum esse, ita gratiam medicinalem, qua lethaliter vulnerati modò sanamur, differre volunt isti Doctores ab ea, quâ prius parentes integerrimè sani vegetabantur ac efflorescebant. Quam gratiæ diuersitatem arguunt tum ex dissimili naturæ statu, tum ex mente potissimùm S. August. ita loquentis. *Adam habuit magnam gratiam, sed disparem.* Vbi subdit eam disparitatem in duobus consistere. Primum est, quia *Adamus in illis bonis Christi morte non eguit; nos autem à reatu & hæreditario & proprio Agni sanguis absoluit.* Alterum, quia *gratia potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quâ fit, vt habeat homo iustitiam, si velit; secunda plus potest, quâ etiam fit, vt velit, & tantùm velit, tantóque ardore diligat, vt carnis voluntatem*

l. de corr. & gr. c. 12.

*contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.*

Vnde affert ibi S. August. celebre illud discrimen inter *adiutorium sine quo aliquid non fit, & aliud adiutorium, quo aliquid fit*; quorum illud naturæ sanæ collatum censet, istud verò reseruatum naturæ iam *ægrotanti. Quæ quidem infirmitas*, eorum iudicio, *talis ac tanta est, Vt, etsi gratia illius generis, qualem Adam habuit, centuplo, imò millecuplo lapsis hominibus daretur maior, numquam hominem vulneratum vel ad solum vnius bonæ voluntatis actum posset adducere: quemadmodum lux ipsa solis intensissima Vulneratis seu extinctis oculis ad cernendum nihil opitulatur, sed grauiùs nocet; sanis autem etiam perparua sufficit.* Quæ passim repetunt, vt nobis persuadeant auxilium, sine quo non possis, & cum quo possis, non tantùm esse superfluum, sed & perniciosum vt ex professo posteà docent. Ibid.c. 12. Ianʃ. to. 1. l. 8. c. 10.

Ad quæ similiáque opponimus quod aliàs à se passim inculcatum S. August. iam senior repetit his verbis. *Hoc nunc dicam quod quidem & in aliis opusculorum meorum locis sæpe iam dixi. Duabus ex cau-* to. 3. l. 3. c. 2. cap. 81. Enchir.

*sis peccamus, aut non videndo, quid facere debeamus; aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis.* Illud in mente, istud in corde. Cui malo duplici vnum opponit gratiæ remedium, quo à vitiis omnibus sanetur, *quisquis se calore ac lumine eius accendendum illuminandúmque non contempserit.* Cùm ergo præter gratiæ lumen & calorem infirmitati nostræ non admoueat aliud remedium, argumento sanè est id ab eo perniciosum minimè censeri: vti neque posteà noxium id censebat S. Fulgentius, loquens enim de præsenti statu mortalitatis ait *hominem sic à Deo factum, vt hæc dona habere possit; sed habere non potest, nisi dono Dei miserantis acceperit; nam & oculus sic factus est, vt videre lumen possit; sed videre non potest, nisi se illi lumen infuderit.* Neuter itaque putat oculos ita nobis erutos esse, aut ita cor auulsum, & emortuum, quin illi luminis sint capaces, istud ardoris sæpe quidem vehementioris in hoc statu misero, quàm in illa felicitate; non ideò tamen absimilis naturæ, quia virtutis. Cùm enim gratiam Adam *Luci* compa-

*l. de spir. & lit. c. 33.*

*Ep. 6. c. 6.*

*l. de nat. & gr. c. 48.*

rat; cùm prætereà dicit fuisse ignem siue *caritatem diffusam in primis parentibus per Spiritum sanctum qui datus est eis*; nihil aliud per lumen & ardorem illum intelligit, nisi cognitionem & affectum diuinitus immissum; quorum vtrumque constat & Adamo fuisse necessarium, & nobis multò magis. Quare quò fuerit in nobis donum illud maius, eò reputari debet vtilius. Quis enim fidem non abroget dicentibus id esse noxium, quòd rectè iudicemus de vero, aut afficiamur, vt par est, circa bonum? *l. 12. de ciu. c. 9.*

Exemplum ergo corporeæ lucis ad spiritalem non tam litera tenus, quàm spiritu applicari debet. Idem de medicina dicendum, cui gratia comparatur, non quia non alit & vegetat, sed quia similior est iis alimentis, quæ vim habere dicuntur & curandi & nutriendi; qualia quondam tulisse dicitur arbor illa vitæ, ideóque & gratiam Adami & nostram similem esse dicit S. August. & medicinæ & alimoniæ. Gratiam Adami medicinæ comparat dicendo *semper Deum medicum opus esse etiam sanis, vt sanitas ipsa teneatur:* Nostram autem his verbis. *Sicut vulnere, verbi gratia, claudi-* *Serm. 34. de diuers. c. 2.* *l. de nat. & gr. c. 26.*

*cans ideò curatur, vt sanato malo præterito futurus dirigatur incessus; sic mala nostra non ad hoc tantùm supernus medicus sanat, vt illa iam non sint, sed vt de cætero rectè ambulare possimus:* Præterea gratiam Adami ita comparat alimento. *Sicut si-* (l. 14. de Ciu. c. 27.) *ne alimentis hic viuere in potestate nostra non est; ita benè viuere sine adiutorio Dei etiam in Paradiso non erat in hominis potestate:* Nostram verò dicens in illud Christi Domini; (In cap. 6. Iô. tr. 26.) *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Nemo implet legem, nisi adiuuerit gratia, id est, panis qui de cælo descendit.*

Quidnam ergo disparitatis est inter gratiam Adamo collatam adhuc stanti, & postmodum eidem ac posteris eius vna collapsis indultam? Iam ante di- (l. de corr. & gr. c. 11.) ctum est ex mente S. Aug. nostram ab illa primordiali differre non solùm ratione motiui, quia datur nobis propter Christi merita; sed & ratione virtutis longè potentioris, multóque superabũdantis; quatenus specialiter Deus largitur electis auxilium efficax, quod tunc protoplastis illis negauit, prætereáque non subtrahit aliis auxilium, *sine quo non*; nec quia dare vult nonnullis quod maius

ius eſt, aliis aufert id, quod minus eſt. Sic enim ſaluberrimus aduentus Domini priuaret homines bono prorſus neceſſario, quod primis parentibus, ſi non tam indignis, at immeritis certè, datum eſt initio independenter ab eius ſanguine.

Hanc eius eſſe mentem confirmant tot auctoritates ſuprà citatæ; ad quas accedit & illud. *Primo homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adiutorium perſeuerantiæ, non quo fieret, vt perſeueraret; ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur.* Vbi fatetur electis non minùs, quàm aliis dari auxilium ſine quo non; nec id tantùm, cùm enim probè nouerit, *ſepties in die cadere iuſtum*, hoc ſubſidio duntaxat fretum ac munitum; dat eis inſuper auxilium, quo reſurgant, & quo certiſſimè liberentur. Quare non eſt ſenſus non donari prædeſtinatos niſi efficaci gratia, quæ ſufficientem eminenter

*ibid. c. 12.*

*Prou. 24.*

contineat; sed vtraque per vices ad Dei libitum. Sicut ergo nostris temporibus pœnitentiam ante legem, & sub lege vsurpari solitam abrogare noluit, cùm ei sacramentalem addidit; ita, quæ summa fuit eius benignitas, cùm gratiam efficacem nobis promeruit, de sufficiente nihil derogauit, quę nòn minus quàm altera sub infinitum eius meritum ceciderit. Quamuis autem hæc vtraque post lapsum Adàmi sit verè Christiana, quia promanat è meritis Christi, quod de gratia primi status dici non potest in hac schola S. August. communiùs tamen hæc denominatio κατ' ἐξοχὴν, cadit in efficacem.

## ARGVMENTVM IX.

### *Monstrosa gratia, quæ nullum parit effectum.*

l de cor. & gr. cap. 12. *PRimo homini datum est adiutorium, sine quo perseuerare non posset; nunc verò sanctis & prædestinatis datur tale, vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint.* Ad hæc similiáque dicimus S. Aug. illic

agere de auxilio efficaci, *ſanctis ac prædeſtinatis*, vt dixit, conferri ſolito. De quo variis in locis potiſſimum agit dicendo *omnem, qui didicit à patre, non ſolùm poſſe venire, ſed venire. Vbi iam & poßibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.* Nam vt ait libro primùm hîc citato de correctione, & gratia. *Ita ſubuentum eſt infirmitati ſalutis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur.* Et ſtatim exponendo nobis diſcrimen inter Adamum, & eius poſteros. *Fortißimo dimiſit atque permiſit facere quod vellet, infirmis ſeruauit, vt, ipſo donante, inuictißimè, quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere inuictißimè nollent.* Vnde libro poſteriori de peccatorum meritis, & remiſſione dicit, *gratiam ſanctorum eſſe certam ſcientiam, & victricem delectationem, ſiue lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & ſuauitatem, qua det fructum ſuum terra eorum.* Quibus oſtendit gratiam non omnium, ſed *ſanctorum* voluntati eorum, ita concordare, vt hæc illi nunquam diſſentiat.

*l. de grat. Chr. c. 14.*

*cap. 12.*

*cap. 19.*

*ex Pſ. 84.*

Hæc tamen non obſtant, quin præterea Deus largiatur aliis alterum illud

genus auxilij frustrabilis intento fine. Quis enim aliter sibi satisfaciat hæc post adeò multa, de quibus suprà, legendo? 2. Cor. 6. *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Cui succinit illud S. August. l. 1. de perc. mer. & remiss. cap. 58. *Habet homo concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque, adiuuante Deo superet, si non in vacuum gratiam eius susceperit.* Quod ipsum repetit in libro de perfectione iustitiæ. cap. 8. *De corpore mortis huius non omnis liberatur, qui finit hanc vitam, sed qui in hæc vita susceperit gratiam, &, ne in vacuum suscipiat, bonis operibus egerit* Quæ frustra dicerentur, nisi cum Apostolo supponeret posse gratiam in vacuum suscipi, hoc est, posse effectu frustrari per voluntariam suspensionem consensus, & cooperationis; vt habetur in libro de spiritu & litera. cap. 34. *Dum quis admonetur intrinsecus, nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Vbi vigilanter ait, *dissentire*; nec solùm posse dissentire, quia sufficienti gratiæ non tantùm reluctari possumus, sed & reipsa sæpius reluctamur; efficaci verò nunquam actu, sed solùm potestate secundùm eius princi-

pia: è quibus processit notum illud anathema Concilij Tridentini. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium Deo excitanti atque vocanti non posse dissentire, si velit, anathema sit.* Dum autem argutantur super hac hypothesi, *si velit*, dicentes nunquam fore, vt gratiæ præsenti libertas dissentire velit, aut velle possit, patres illos arguunt sophisticæ cauillationis; si enim hoc supponerent, nonne friuolum esset illud prædictæ conditionis additamentum, cùm hoc nullus vnquam velit, aut etiam velle possit? Quàm enim impossibilis est operatio mala, aut malè operandi voluntas in statu beatitudinis, aut, vice versâ, actus spei, aut sperandi conatus in statu damnationis, tam impossibilis est secundùm istorum doctrinam dissensus à quauis gratia semel præsente. Quare similiter se haberet illa Patrum definitio, ac si decernerent posse vel beatum peccare, vel damnatum sperare, *si velit.* Quod cùm neuter velle possit, quid inanius tali decreto? Definiunt ergo fieri posse, vt homo gratiæ etiam præsenti, aut, vt dicebat Concilium, actu vocanti, & excitanti dissentire valeat, & insuper hoc

*s.6.can 4.*

velle possit; atque ita conditionem prædictam relinquunt in manu liberi arbitrij; ideóque absolutè, & absque mentione vllius hypothesis suprà dixerant.
Ibid. c. 5. *Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, & inspirationem homo potest illam abiicere.* Nimirum potest efficacem saltem loquendo physicè magis quàm moraliter, quod tamen nunquam facit; sufficientem verò tam moraliter quàm physicè abiicere potest, eámque nimiùm sæpe abiicit.

Et hoc ita declarat inter alios S. Prosper; qui cùm de generali ac speciali gratia fusè disseruisset, hæc subiungit.
l. 2. de voc. gent. c. 9. *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis. Dando intellectum, inspirando consilium, córque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed voluntas hominis subiungitur ei atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium; de sua habens mutabilitate, si deficit; de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio*

*per innumeros modos siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ; quòd autem à multis suscipitur & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* Hinc habes gratiam internam *omnibus adhibitam, sed principaliter in iustificatis praeminentem;* quarum vtraque & communis & specialis *dat intellectum, inspirat consilium, cor ipsum illuminatione & affectione imbuit*, quæ gratiæ merè extrinsecæ conuenire non possunt, *humana nequitia* non modò refutari posse, sed & reipsa *à multis refutari.*

Quòd ergo non producat affectum, non est sterilitatis innatæ, sed voluntatis peruersæ. Vnde qui gratiam *monstrosam* appellant, quia monstrorum instar, nihil parit, iocosiùs loquuntur, quàm vel ipse Manichæi, qui virgines Christianas voluntariè steriles *mulas* vocitabant. Præsertim cùm infrà demonstrandum sit, nec improbabilem, nec S. August. dissentaneam esse sententiam quæ docet, vi solius auxilij *sine quo non*, ad salutem aliquos peruenisse, aut peruenturos esse.

*Iansl. l. 3. de gr. Chr. c. 3.*

*S. Aug. l. de morib. Manich. c. 13.*

*Infrà ad arg. 11.*

## ARGVMENTVM X.

### *Totum Deo tribuendum.*

l. de do. perſ. c. 19. IN eum finem laudant SS. Cyprianum & Ambroſium citatos in libro l. 3. ad Quir. c. 4. de dono perſeuerantiæ. Primus ait, *in nullo gloriandum quando noſtrum nihil eſt.* Alter autem, *non eſt in poteſtate noſtra cor* l. de fuga ſaculi c. 1. *noſtrum & cogitationes noſtræ.* Quam vtriuſque mentem ſic expreſſit S. Aug. adeóque ſuam eſſe ſignificauit, vt hæc eorum verba paſſim referat & propriis inſuper confirmet in eodem libro de dono perſeuerantiæ, vbi poſt multa ex S. Cypriano, vt ſolet, deſumpta negotium hoc breuiter concludit in hunc mocap. 6. dum. *Tutiores igitur viuimus, ſi totum Deo damus; non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus, quod vidit iſte venerabilis Martyr.* Ideóque propoſitio-Rom. 9. nem hanc Apoſtolicam, *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* reciprocè conuerti poſſe negat. *Si nullus* cap. 32. Enchir. *Chriſtianus dicere audebit, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſto-*

*lo apertissimè contradicat; restat, vt propterea rectè dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur.*

Ex quibus inferunt *omnia vsque ad ipsam voluntatis determinationem etiam in actu secundo esse à solo Deo*; ac proinde hominis cooperationem nullam esse, ideóque pronuntiare audent Pelagianum esse loquendi modum quo dicitur Deus *prouocare & allicere voluntatem nostram, & possibilitati aut potentiæ naturali cooperari.* Ianſ. l. 2. de gr. Chr. c. 23. Idem l. 5. de har. Pelag. c. 11.

In his, vt & semper ac vbique, prospiciendus est scribentis animus & scopus. Nouissima S. Patris contentio cum hæreticis illius postremi temporis tota penè fuit circa primum illapsum gratiæ. Dicebant illi gratiam non tam donari nobis, quàm reddi meritis nostris, quia primùm ex nobis ipsis vel actum fidei, vel saltem credendi voluntatem concepimus. Contradicebat ille tam ex animo, & toties iterando Deum ex sua liberalitate mera, non ex vllo merito nostro nobis initiò gratificari. Non igitur exspectat inchoamentum libertatis humanæ, sed illud occupat & anteuertit

illuminando & inspirando; ita tamen, vt illa salubris præuentio, quâ præoccupatur diuinitùs omne meritum humanum, non prohibeat cooperationem subsequam. Hoc tenemus ab illo vel ex locis contra nos productis. Intelligimus enim ex literis SS. Prosperi & Hilarij, itémque ex eius ad vtrumque rescripto nihil aliud æquè commendari; ac initium fidei & iustificationis esse à Deo & quidem solo, si non physicè, quia non ita diuinitus infunduntur actuales illæ & transitoriæ illuminationes & inspirationes, quin ad illas è nobis eliciendas physicè cum Deo concurramus; at certè moraliter, hoc sensu, quia nobis immittuntur sæpe non cogitantibus, semper autem præter vllum meritum anterius. In eumdem sensum vulgus ait ex mente S. Augusti. totum hoc fieri in nobis sine nobis.

Quòd verò spectat ad liberam deinceps cooperationem ex gratia præuenienti subsecutam, audiamus quid dicat. *Totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non*

cap. 32. Ench. ex c. 8. prouerb. iuxta 70.

*omnia: quæ autem non prætedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam vtrumque legitur in sanctis eloquiis, & misericordia eius præueniet me, &, misericordia eius subsequetur me. Nolentem præuenit, vt velit, volentem sub-* ex Ps. 58.
*sequitur, ne frustrà velit*, siue ne frustretur opere per voluntatem à Deo ex Ps. 22.
præuentam intento. Dicit voluntatem à Deo præparari per motum gratiæ primum & omni merito præuium; addit eam semel præparatam posteà diuinitùs adiuuari. *Non adiuua-* l. de perf.
*tur autem, nisi qui & ipse aliquid agit.* Iust. c. 20.
Nam, vt alibi exponit illud Apostoli ad Romanos, *quicumque spiritu Dei agun-* l. de corr.
*tur, ij sunt filij Dei. Aguntur vt agant, non* & gr. c. 2. ex c. 8.
*vt ipsi nihil agant.* Et alio loco aduersus Rom.
eos, qui sic loquuntur; *Nos ipsi nos ipsos* l. de nat.
*iustificamus*, sic habet. *Vbi quidem opera-* & gr. c.
*mur & nos, sed illo operante cooperamur.* 32.
Quò tendit etiam illud. *Totum est ex* Serm 15.
*Deo, non tamen quasi dormientes, non quasi* de verb.
*vt non conemur, non quasi vt non velimus.* Apost. c. 11.
*Sine voluntate tua non erit in te iustitia Dei.* Et paulò post. *Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te;* Vulgus perperàm citat non te *saluabit* sine te; Quod, vt constat ex lectione antecedentium &

ſubſequentium, procedit aſſertiuè, & abſque illa interpunctione interrogatiua, quam huic loco nonnulli impingunt. Ob eandem cauſam ſæpe Deum vocitat *adiutorem nostrum*, gratiam autem *adiutorium*. In eandem ſententiam ita ſcribebat ſub finem vitæ. *Quod credimus, & quod operamur, vtrumque nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrumque datum est per ſpiritum fidei, & charitatis.* Et ſtatim. *Quod credimus, & volumus, vtrumque Dei est, quia ipſe præparat voluntatem; & vtrumque nostrum; quia non fit, niſi volentibus nobis.* Vnde S. Fulgentius. *Nostræ ſalutis opus bonæ voluntatis exordio diuinitus dato in maioribus inchoatur, vt opere ſolius gratiæ voluntas, quæ mala fuit, bona fiat, & deinceps gratiæ ſecum operanti ſeruitium obedientiæ cooperatricis exhibeat.* Et apud illum Patres Africani in Sardiniam è patria deportati, de gratia Dei, & humana libertate ita loquuntur. *Hic est rectus ordo diuinæ miſericordiæ, & voluntatis humanæ, vt illa præueniat, hæc ſequatur; ſola Dei miſericordia initium ſalutis conferat, cui deinde voluntas hominis cooperatrix ſuæ ſalutis existat.*

*l.2. de pecc. mer. & remiſſ. c.5.*

*l.1. retr. cap.23.*

*S. Fulgent. l. de Incarnat. & gr. Chr. c.30.*

*In epiſt. Synod ſub med. apud S. Fulgent.*

Hanc porrò cooperationem adeò

necessariam putat S. Aug. vt, hac sublata, tolli dicat libertatem, exponens illud, *Adiuua nos, Deus salutaris noster. Cùm adiuuari nos vult Propheta, nec ingratus est gratiæ, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adiuuatur, etiam per seipsum aliquid agit.* Cui consentiunt omnes eius amatores, vt præ cæteris Cælestinus Papa primus, summus iisdem temporibus sancti Patris laudator. Sic enim scribit ad nostros Præsules Gallicanos. *Agit Deus in nobis, vt, quod vult, & velimus, & agamus, nec otiosa esse in nobis patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit, vt & nos cooperatores simus gratiæ Dei.* Et aliquot annis post eum Patres Arausicani, nec ita pridem Tridentini, quorum illi aiunt Christum nobis *cooperari*, isti contradicentem huic veritati opinionem anathemate percellunt.

*In Ps. 68.*

*sub fin. epist.*

*Can. 25. s. 6. can. 4.*

Hinc ergo soluta manet obiectio, concedendo totum Deo tribuendum, aut reddendum esse, quia totum exordium salutis siue initium gratiæ est à Deo semoto omni merito nostro. Progressus, & finis huius viæ ita est à Deo simul, & à nobis, vt etiã hoc illi totum acceptum referri debeat, quia quan-

quam interueniat aliqua cooperatio nostra, illa tamen præ gratia diuina considerari non debet. In patria verò totum in Deum, vt fontem; refundendum est; quia quanquam ingressum illuc præcesserint adultarum merita, illa tamen semper gratiam, vt ducem præuiam, subsecuta sunt, secundùm illud Cælestini Papæ, iam laudati, post eumque Concilij

*s.6. cap.16.* Tridentini. *Nostra vult Deus esse merita, qu· sunt ipsius dona.* Sit ergo finis gratæ voluntatis in patria, qui fuit initium meritoriæ voluntatis in via. Quam clausulam imposuit ipsemet suo testamento

*Apoc. vlt.* dicens. *Ego sum α & ω, principium, & finis.* Neque verò prædictis intercedit S. Aug.

*In Ps. 70. conc. 2. sub med.* ita loquens. *Cùm præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.* Nam ibi negat solùm merita primam gratiam præuenientia; vnde subiungit. *Dicam hoc omni generationi superuenturæ; de captiuitate venisti, ad Adam pertinebas*, non negat autem merita, quæ cum gratia primam subsequente comparantur, secundùm illam ad S. Paulum apóstrophen.

*l. de gest. Pelag. c. 14. post med.* *Quocirca, ô Beate Paule, magne gratiæ prædicator, dicam, nec timeam. Redditur quidem meritis tuis corona sua, sed Dei*

*dona sunt merita tua.*

Hinc etiam intelligitur, quo sensu negauerit compositam Apostoli propositionem ἀντιστρέφειν. Cùm enim infusio primæ gratiæ nec sub vsum liberi arbitrij, nec sub meritum cadat nostræ voluntatis aut operationis antecedentis, certè nec volentis, nec currentis est eam primùm assequi. Quia tamen illi deinde vltro cooperamur ad vlteriores effectus, rectè diceretur in alio sensu, de quo tunc nec Apostolus, nec S. August. agebat, esse volentis & conantis, aut concurrentis non eam primò suscipere, sed ex ea per eámque semel gratis acceptam proficere. Sed cùm ex diuina misericordia & liberalitate profluat & origo gratiæ præuenientis, & cursus subsequentis, posterius membrum vicissim cum priori conuerti nequit. Quis enim præter Pelagium dicat non esse Dei miserentis, sed hominis volentis?

Nec est, quòd nobis opponant SS. Cyprianum & Ambrosium, quorum primum cùm fusè laudasset S. Augustinus, ait ex eius mente *virtutem rectè agendi per Spiritum sanctum adiuuari*. Alterum etiam *venerabilem Antistitem* ho- *l. 4. ad Bonif. Pap. c. 9.*

Ibid.c.44. norificentissimè commemorat *dicentem & docentem*, *quòd vbique Domini virtus studiis cooperetur humanis*. Hanc ergo litem inter gratiæ defensores, & libertatis patronos ita componit arbiter æquissimus, vt neutri totum, sed alteri principatum, obsequium alteri, vtrique titulum cooperatricis attribuat. Gratiæ principi libertas obsequi debet instar l.2.de voc. gent.c.9. *famulæ*, vt eam vocat S. Prosper, & ante illum S. August. dicens totum istud ne- Ep.106. post p. gotium expediri *comitante, non ducente; pedissequa, non præuia voluntate*. Aliis terminis, sed eodem sensu dicunt Scholastici illam esse causam principalem, hanc instrumentalem, aut ministerialem.

His positis; vbi sunt phrases illæ Pelagianæ, quarum in suspicionem vocabat obiectio præsens propugnatores cooperationis humanæ? Non alibi certè, quàm in eorum mente ac ore, qui dicunt exspectandum esse nutum voluntatis meritorium primæ gratiæ, hoc est, eius propriæ destructiuum: aut qui naturæ tam blandè palpantur, támque putidè blandiuntur, vt in eius gratiam prædicare non dubitent post Pelagium,

volun-

voluntatem humanam sufficienter prouocari vel allici per solam gratiam externam; aut huiuscemodi gratiæ exteriùs vocanti obedire posse libertatem intrinsecùs non adiutam.

---

## ARGVMETVM XI.
### *Saluari posset qui prædestinatus non esset.*

NAm cuiuis reprobo viatori præsens adesset auxilium, *sine quo non, & cum quo liberari posset.* Hîc præmitti debet triplex prædestinationis distinctio non ignota studiosis S. August. lectoribus. Prima est ad gratiam, & definitur, *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* (l. de don. pers. c. 14.) Quam præparationem metiri oportet non tam beneficiorum primitus acceptorum, aut etiam nobiscum in vitæ procursu cooperantium, quàm finalium largitate perseuerantiam donante. Sicut enim multi reprobi stant aliquandiu, quia iuuantur; ad tempus efficaciter; ita sæpissimè cadunt ad aliquod tempus electi, quia

tunc, Deo sic mirabiliter disponente, iuuātur solùm sufficienter. Vnde quòd illi præ istis certissimè liberari saluaríque dicantur, pendet à finali gratia, quam ideò pertinere vult S. August. ad essentiam huius prædestinationis, quæ vulgò dicitur completa, sicut incompleta vocatur altera. Secunda est ad gloriam, de qua nusquam ex professo, sed obiter aliquoties disputauit S. August. teste & eius lectione, & aduersæ partis testimonio. Definitur autem hoc modo. Voluntas absoluta perducendi electos ad gloriam. Quæ quidem voluntas irreuocabilis, & efficax duobus modis concipitur. Primò vt antecedens præuisionem absolutam meritorum, quorum tamen sit infallibilis causa in maioribus; & hoc sensu prædestinantur ad gloriam, quicumque ad gratiam. Secundò, vt subsequens prædictam meritorum præuisionem. Qua ratione fatetur vbique pars aduersa electos fuisse Angelos bonos, & eligendos homines, si, in quo statu conditi sunt, perstitissent. Vtrouis autem sensu fiat hæc prædestinatio in mente aut voluntate diuina, eius executio semper in adultis inuoluit meri-

*Iansl.l.9.de grat.Chr. cap.17.*

tum, ſine quo nemini eorum patebit aditus ad vitam æternam. Cuius veritatis poſt ſcripturas fidem nobis facit S. Aug. variis in locis, & nominatim in libro de correptione & gratia. *Verumtamen quia & ipſa vita æterna, quam certum eſt bonis operibus debitam reddi, à tanto Apoſtolo gratia* Dei *dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur; ſine vlla dubitatione confitendum eſt ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippe ipſa intelligitur, quæ in Euangelio legitur, gratia pro gratia, id eſt, pro his meritis, quæ contulit gratia.* Tertia eſt ad pœnam, ait enim S. Auguſt. *eſſe genus hominum, quod prædeſtinatum eſt ad interitum.* Quam eius propoſitionem iam olim cùm obſtupeſceret Monimus ille S. Fulgentio familiaris, eidem ita reſcribit idem ſanctus. *Nihil aliud accipiendum exiſtimo in illo S. Auguſtini ſermone, quo quoſdam ad interitum prædeſtinatos firmat, niſi ad interitum ſupplicij, non delicti. Neque ad malum, quod iniuſtè admittunt, ſed ad cruciatum, quem iuſtiſſimè patientur. Nec ad mortem animæ primam, in qua naſcuntur paruuli, vel in quam recidunt cri-*

*cap. 13.* Rom. 6. *f.*

Ioan. 1.

*l. de perf. iuſt. c. 13.*

S. *Fulgent. ad Monim. l. 1. c. 5.*

*minosi, sed ad mortem secundam, quam necesse est patiantur, retribuente iustissimo iudice.*

Si quis ergo non prædestinatus ad gratiam illam certissimè liberatricem, permitteretur soli gratiæ sufficienti, cui generosè cooperando salutem adipisceretur, in eo casu raro quidem, sed non impossibili quanquam ille non esset prædestinatus antecedenter, esset tamen consequenter ad præcognitos proprios conatus, & ad præuisa merita: atque ita non nisi prædestinatus saluaretur. Quo planè sensu fatentur vel ij, qui nobis contradicunt, saluatos esse Angelos, & saluandos homines, si quidem in primis natalibus perseuerassent. Quod non asseuerantiùs propositum si certò fixéque teneremus ac tueremur, nec mirum videri posset, nec nouum duplex illud genus electionis ad gloriam. Sicut enim multi DD. non obscuræ famæ aiunt maximam electorum partem, ita consequenter ad præuisa merita prædestinari, vt nonnulli antecedenter eligantur, quemadmodum de S. Ioanne Baptista, de D. Paulo, & quibusdam aliis concedunt, nam de Virgine matre

*Okam. in 1. d. 41. q. 1. Gabr. ibid. art. 1. Catharin. l. 1 & 3. de prædest.*

nefas esse putant dubitare: eodem aut potiori iure dici posset ex mente S. Aug. pleró sque omnes sic antecedenter eligi, vt aliqui tamen consequenter ad delictum illum superaddi possint.

An verò, dato possibili, reipsa & actu saluetur aliquis, in hoc statu naturæ miseræ, vi solius auxilij, *sine quo non*, nouit Dominus, hoc tantùm è monumentis S. Aug. eruere licet. Nimirum ex massa corruptionis tot esse homines segregatos, & infallibiliter ad gratiam finalem prædestinatos, quot Angelorum agmina ceciderunt. Ait enim eorum *supplementum de genere humano ad integritatem illius ciuitatis exspectari.* Propter quod ait Apostolus, *instaurari omnia in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in terris. In ipso quippe instaurantur, quæ in cælis sunt, cùm id, quod inde ex Angelis lapsum est, ex hominibus redditur.* Non quòd homines eligantur per accidens, & ex sola Dæmonum perditorum occasione, cùm plurimos saluasset Deus, etiamsi nec Angeli peccassent, nec primi parentes; sed quia post vtriusque peccati præuisionem, qua supposita, non ante, decreuit Deus mysterium Incarnationis, nec

cap. 62. Ench.

Ephes. 1.

consequenter vllum in statu naturæ lapsæ hominem ad gratiam aut gloriam prædestinauit, placuit illi, qui nulles liberare tenebatur, hunc prouidentiæ tenorem instituere, vt ex ea turba perdita tot eligeret, quot sedes vacuas Angeli reliquissent; aliis verò non quidem tam potenter, sed tamen satis superque subueniret.

Ex eodem præterea cognouimus maiorem probabiliter esse hominum electorum numerum, quàm Dæmonum

Cap. 29. Enchir. perditorum. Nam *superna illa Ierusalem, mater nostra, ciuitas Dei nulla ciuium suorum numerositate fraudabitur, sed vberiore etiam copia fortasse regnabit.* Quod etiam

l. 22 c. 1. tradit in libris de ciuitate. *De mortali progenie meritò iustéque damnata tantum populum per gratiam suam colligit, vt inde suppleat & instauret partem, quæ lapsa est Angelorum, ita vt illa dilecta & superna ciuitas non fraudetur suorum numero ciuium, quin etiam fortaßis & vberiore lætetur.* Si ergo dicamus impleri ruinas angelicas vi prædestinationis antecedentis, superaddi verò cumulum vi consequentis: siue per gratiam efficacem colligi, quidquid prædestinatum est, ad

restaurandum id, quod collapsum est; aliquid verò per sufficientem superaddi, quid tandem erit, quod isti propter sterilitatem monstris connaturalem cum ludibrio gratiam *sine qua non* traducant dicentes esse *monstrosam*? Ians l.3. de gr.Chr. c.3.

Quamquam hac lite à nobis suspensa, vt eam dubius suspendit S. August. constet aliunde gratiam hanc non esse inutilem, nam, esto, quæ est hominis culpa, non assequatur vltimum effectum, dat tamen libertati vnde possit rectè operari, aut etiam vnde aliquoties in vitæ curriculo rectè operetur; dat nobis vnde iustificemus Deum temerè à nonnullis iudicatum; dat vnde illi gratias habeamus, & nosmetipsos vt ingrata capita quotidie increpemus. Quemadmodum illi loquuntur de Angelis malis, in quibus gratia fuit ita sterilis, vt nullus eorum sit salutem adeptus, nec ideò tamen monstrosam appellant.

Sed arrepto, quod cursim & dubitanter à nobis excidit, nimirum in vitæ decursu finéque nonnullos gratia sufficienti præuentos benè interdum agere, & tandem saluari, in nos continuò telum retorquebunt dicẽtes hoc modo

ſubuerti, aut ſaltem confundi diſcrimen ſæpius allatum inter vtramque gratiam. Dicimus tamen illud integrum remanere, cùm efficax det ſemper agere; ſufficiens verò ſemper poſſe, ſiue hæc alioqui repulſam à libertate patiatur, vt nimium ſæpe, ſiue fortè aliquoties conſenſum eius alliciendo pertrahat, vt ſine dubio factum eſt in bonis Angelis & aliquoties in hominibus nondum lapſis. Quòd ſi quæras, quid ergo ſit in efficaci, quo differat à ſufficienti; eſt in promptu ſolutio S. Proſperi dicentis *eſſe ſpecialem vocationem, quæ excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute exeritur.* Quod à S. Auguſt. mutuatus eſt ita loquente. *Nolunt homines facere, quod iuſtum eſt, ſiue quia latet, an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat. Tantò enim quidque vehementiùs volumus, quantò certiùs, quàm bonum ſit, nouimus, eóque delectamur ardentiùs.* Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad opus bonum, aut à malo deterreatur. *Vt autem innoteſcat, quod latebat, & ſuaue fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt*; quam paulò poſt ait eſſe *certam ſcientiam & victri-*

*l. 1. de voc gent, c. 8.*

*l. 2. de pec. mer. & rem. c. 17.*

*cap. 19.*

*cem delectationem.* Vocat ſcientiam certam non ſolùm actus certitudine aut veritate, quod conuenit etiam ſufficienti, quæ fallax eſſe non poteſt; ſed & certitudine ſubiecti, à quo remouet omne dubium. Vocat delectationem victricem, quia ſic *ſubuentum eſt infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur, & ideò quamuis infirma, non deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur.* Et continuò loquens de gratia ſufficienti primi hominis, *fortiſsimo dimiſit atque permiſit facere, quod vellet; infirmis ſeruauit, vt ipſo donante, inuictiſsimè, quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere inuictiſsimè nollent.* In eandem ſententiam frequentiſſimè citat hunc verſiculum, *etenim Dominus dabit benignitatem,* aut, vt ipſe legit, *ſuauitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.*

*l. de corr. & gr. c. 12.*

*Ex pſ. 84.*

In hoc ergo ſtatu naturæ lapſæ alteram ab altera diſcriminat, quòd prima ſit tanta mentis certitudo, tanta cordis delectatio, vt etiam inter extremas difficultates & acerbitates animus ei ſemper conſentiat, & quamquam phyſicè & in omni rigore loquendo diſſentire

possit, moraliter tamen in tanta concordiæ suauitate non possit; adeò bene alteri cum altera inuicem est. Alia verò cùm sit expers prædictæ certitudinis & suauitatis facilè difficultati succumbit, quia vires totas non exerit libertas di-
*l.2. de pec. mer. & remiss. c. 3.* uinitùs adiuta, nam *ad nonnulla superanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros præuidit, qui per prophetam veridicè dici voluit, non iu-*
*Ex ps. 142.* *stificabitur in conspectu tuo omnis viuens;* sed nullus non erit inexcusabilis, quia nullus erit reprobus, qui totas vires adhibere voluerit ad concurrendum cum gratia sibi suppeditata.

---

## ARGVMENTVM XII.

### *Nec Iudæi nec Ethnici sufficienter adiuti.*

PRimum ex eo conantur euicnere, quòd Iudæi non sint filij, sed filiorum famuli, ac famulorum filij vernu-
*In ps. 40.* læque *capsarij, qui nobis studentibus co-*

*dices portent.* Vbi S. Auguſt. alludit ad illud Poetæ.

*Quē ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ,* Iuuen. ſat. 10.

Et ſimul oſtendit eos nihil inde proficere, vnde aliis proſunt, & veritatis, quam nobis ſubminiſtrant, ignaros deſidere; dicente Apoſtolo, *omnia in figura contingebant illis.* Vnde inferunt *nihil aliud fuiſſe vetus teſtamentum, niſi magnam quamdam quaſi comediam, quæ non tam propter ſeipſam, quàm propter id, cui præfigurando ſeruiebat, ab illa gente tanquam ad hoc idonea ageretur.* Quem loquendi modum quamquam à decoris ingeniis illuſtrari ac eleganter defendi videam, vix tamen crediderim ſeriis mentibus perſuaderi facilè poſſe eum loqui ſatis decenter, qui Theologicè dixerit Deum teſtamenti veteris auctorem, auctorem eſſe comœdiæ, cuius actor fuerit populus Dei ſelectus inter omnes alias gentes. Præter decorem deſideratur & veritas, ni fallor, in hoc eorum pronuntiato. Nam in comœdia res ipſa numquam exhibetur, ſed ſolùm effingitur, in veteri autem teſtamento gratia Chriſtiana non tantùm figurata fuit, ſed & repræſentata, hoc

1. Cor. 10. Ianſ. l. 3. de gr. Chr. c. 6.

est, præsenti veluti pecunia liberaliter exhibita aut gratis præstita. Ex quo vides non illiteratos in rebus diuinis, nec infusi luminis expertes vsquequaque fuisse scriniarios illos sacrorum codicum portitores; nec ita filiis hodie eos famulari; vt statim censeri debeant exhæredes: nisi vltrò ipsi hæreditatem exspuerint.

Quid ergo dicemus ad locum Apostoli productum? Quid etiam ad hunc? Heb. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum; non ipsam imaginem rerum.* Quid ad similia multa? Duo occurrunt. Primum, gratiam illis communicatam non fuisse figuram aut vmbram gratiæ posteà conferendæ, sed eandem omninò fuisse cum nostra, datamque propter Christi merita, vt de illorum fide post D. Paulum loquitur S. August. scribens ad Bonifacium Papam. Heb. 11. *Ex fide quâ nos viuimus, vna eademque vixerunt; incarnationem* Lib. 3. c. 4. *credentes futuram, quam nos credimus factam.* Alterum est, eorum externa mysteria, vt prophetarum prædictiones, ritus illos ceremoniales, sacra legalia fuisse tantum figuratiua meliorum, quia gratiam ex seipsis non confere-

bant, sed aliorum virtute conferendam significabant. Vnde Eugenius quartus in illo Decreto celebri edicit, *sacramenta nostra multum ab antiquis differre, quia Vetera non causabant gratiam, sed eam tantùm per passionem Christi dandam esse figurabant.* Quod in Concilio Tridentino repetitur, vbi de Sacramentis in genere. *apud Conc. Florent.* *sess. 7. can. 1.*

Ex quo sequitur gratiam paruulis in circumcisione infallibiliter collatam, non fuisse effectum legatis illius sacramenti; sed præcocem fructum aduentus dominici per illud prænotati; & iam tum operantis in bona fide parentum, quod hodie baptismus operatur ex seipso: siue gratiam profluxisse non ex opere operato, sed operantis. Quæ verba subsannator nescio quis in *Antidoto*, aut veriùs veneno contra Concilium citatum, moxque citandum, *monstra verborum* appellat. Quasi verò scommati hominis deteriorum non modò rerum, sed & verborum Nouatoris posthabenda sit auctoritas totius scholæ Theologicæ vsurpantis eadem verba post Tridentinum inter eos canones, quos de sacramentis in genere sanciuit, post D. Thomam in rescripto ad Annibaldum Car- *sess. 7. can. 8.* *in 4. dist. 1. q. 5. art. 5.*

l. 3. de myster. c. 5. dinalem. Post Innocentium III. qui iam inde à quinque sæculis eodem planè loquendi modo rem explicuit, mutata phrasi, non sententia S. Aug. dicentis, *non eorum meritis, à quibus ministratur,* l. 4. contra Cresc. c. 16. *nec eorum, quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate atque veritate*, aut virtute, *propter eum, à quo institutus est malè vtentibus ad perniciem, benè vtentibus ad salutem.* his obiter & sensim elapsis ex apice calami, dicebamus circumcisionem fuisse quidem vmbram, aut figuram baptismi per eam præsignati; gratiæ verò Christianæ, nec vmbram, nec figuram extitisse eam gratiam, qua tum infantes in suo, aut veriùs in Agni pro omnibus immolandi sanguine irrorabantur, cùm potiùs ipsa fuerit gratia verè Christiana.

Alterum, quod spectabat ad Ethnicorum abiectionem, & omnimodam repulsam à gratia, ex eo suadent, quòd omnia opera infidelium putent esse peccata, atqui si gratiam semper præsentem haberent; saltem aliquoties aliquid moraliter bonum operarentur. Probant antecedens duplici potissimum auctoritate. Prima, Rom. 14. *omne quod non est ex fide,*

*peccatum est.* Vbi S. Aug. Iuliano dicenti locum hunc perperam in finem intentum afferri, cùm intelligendus sit de cibis contra fidem aut conscientiam sumptis, ita respondet. *Hanc peccati speciem de cibis intellectam generali voluit Apostolus probare sententia.* Deinde tamen cùm viderit hanc auctoritatem modo prædicto posse semper eludi, subiungit hanc alteram. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Accedit ratio. Nam ex fonte lutulento nihil defœcatum profluit. Nec ex arbore infelici mitis sapidúsque fructus excerpitur. Ad hæc respondere pronum est, nec operosum intelligenti quid præsumeret ille Pelagianismi protector, & columen. Quod maximè colligendum ex loco iam allato contra Iulianum, vbi fusè, & ex profuso disceptatur hæc controuersia celebris. Aiebat Iulianus virtutes à vitiis discernendas esse non finibus, sed officiis. *Est autem officium,* vt ait ibi S. Aug. *quod faciendum est, finis verò est id, propter quod aliquid faciendum est.* Sic autem alter fines ab officiis separabat, vt *virtutes veras officia sine finibus appellandas esse diceret. Ex quo re tanta,* inquit, *absurditas sequitur, vt veram coga-*

*l.6.c.3.contra Iul.sub med.*

*Hebr.11.*

*ris appellare iustitiam, etiam cuius dominam repereris auaritiam. Tales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omnino quidquid facerent, propter illam, vel adipiscendam facerent, vel tenendam.* Ille idem Pelagianus probare conatus est, *etiam alienos à fide Christi veram posse habere iustitiam.* Et statim. *Tu mihi introducis hominum genus, quod Deo placere posit sine Christi fide, lege naturæ.* Cúmque paulò ante dixisset hæreticus ille *omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè, aut steriliter boni sumus*; fructuosè si tendat affectus in rectum finem, steriliter, si tantùm in officium, seposito fine: ita replicat S. August. *Vtrum veras virtutes habent, & steriliter boni sunt, quia non propter Deum; an etiam Deo ex his placeēte atque ab illo vita remunerantur æterna?*

Ex quibus habemus vtrumque locum suprà citatum ex Apostolo, sic intelligendum ex mente S. Aug. vt actiones omnes expertes fidei non sint, *veræ virtutes, vera iustitia*, hoc est, eodem sancto suæ mentis interprete, infideles non posse, *vitam æternam per actus illos mereri*, aut, vt seipsum explicat post D. Paulum, *non posse sine fide placere Deo*, propter quem

quem vt factus est homo, ita debet operari & homo; maximè si quid diuinum mereri velit. Quod operandi genus exprimi solet hac duplici vocula, *sicut oportet*. Concilium Tridentinum. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quod multis ante sæculis sanxerat Arausicanum. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertineat vitæ æternæ, cogitare, vt expedit, aut eligere; siue salutari, id est, euangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu.* Quem loquendi modum illic reperies ter aut quater desumptũ ex ore S. Aug. dicentis. *Quod ita fit, vt non referatur ad illam caritatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit, quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri oportet, quamuis fieri videatur.* In quo subscribit, vt semper, Apostolo dicenti. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse spiritus postulat pro nobis.*

s.6.can.3.

can. 6.

cap.121. Ench.

Rom.8.

Vbi verò nominatim ait infidelium

opera esse peccata; vel loquitur de operibus factis præter aut contra finem vltimum, quem qui sibi non proponit inter operandum, peccat ex mente S. Doctoris; hoc autem qui faciat inter infideles, aut etiam inter vulgares Christianos, rarus admodum est. Vel de operibus infectis aliqua circumstantia mala, ac proinde malis, quia sicut consurgit bonum ex integra causa, ita malum ex quolibet defectu. Quod genus boni ex integra causa quia rarissimum est inter infideles, ideò iuxta solemnem scripturæ phrasin, aut vniuersalitatem non in omni rigore physico procedentem, sed in sensu morali populariter vsurpari solito, dicuntur esse nulla bona, quæ sunt ferè nulla; aut omnia mala, quæ ferè sunt omnia. Vel denique latiùs, quàm vulgò soleat in schola, peccati nomen vsurpat, videlicet, prout est aliquid humanum nec Deo gratum, nec ad vitam æternam acceptabile. Talem esse ignorantiam, & concupiscentiam passim ait Apostolus post eúmque Doctor Apostolicus.

Nam alioqui dicere, formaliter & propriè peccatum esse, quidquid fit ab

illis iuxta dictamen rationis, & regulas morum; quale est pietatem parentibus exhibere, suum cuique reddere, modestè, & temperatè viuere, & sic operari non solùm ex motiuo particulari, & honestate propria cuiusque virtutis, sed etiam propter Deum, quem vt cognoscere, ita, si non vt par est, at saltem aliquatenus amare possunt; velle igitur nobis persuadere, totum hoc esse propriè peccatum, quid aliud est, quàm velle nobis eruere lumen naturale? Quid aliud, quàm expungere tot sapientum monumenta toties, & tandiu sanctorum Patrum, & Doctorum consensu, & ore concelebrata? Quid aliud, quàm ei, quem in speciem sequuntur, reipsa valedicere? Sic enim loquitur de infidelibus. *Sicut non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* Sic etiam post illam S. Prosper; qui libro sententiarum memoratam totidem verbis repetit. Quod argumentum à contrario petitum euertit rationem allatam; simúl-

*l. de spir. & lit. cap. 28.*

*cap. 46.*

que probat similitudines à physicis, ad moralia traductas non in omnibus conuenire posse. Quare dicendum est hominem licet infidelem non esse semper & vsquequaque principium actionum humanarum adeò vitiosum, nec arborem adeò malam; quin aliquid ex se boni procreare possit cum generali Dei concursu: Sicut ex mente S. Aug. homo licet fidelis, aut etiam iustus non est principium adeò purum, nec arbor adeò bona, quin aliquid interdum corrupti ac mali ex se profundat. Vnde cùm negatur, vel arbor bona malos fructus producere, vel mala bonos, sumitur hoc dictum formaliter, & reduplicatiuè, vt bona, vt mala, id est, vt agens ex intentione bona, vel mala. Quo sensu citatúm ex Euangelio locum sanctus noster exponit; quemadmodum & istum. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum.* Quod cùm de natura non possit intelligi, quam Deus fecit, & consequenter bonam fecit, cùm scriptum sit; *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; rem exponit vbique S. Aug. de vsu libertatis, aut operatione

Matth. 12.

Genes. 1.

libera & quidam primaria ac aliarum inde ſubſequentium duce, qualis eſt intentio finis, ex qua naſcitur omnis & electio & vſus mediorum, ceu fructus ex arbore,

Huc accedit, quòd inter articulos Doctoris Baij, qui, ſuppreſſo tamen, honoris cauſa, auctoris nomine, auctoritate bullaque Pij V. & Gregorij XIII. apud DD. paſſim obuia damnantur tanquam *Hæretici, erronei, temerarij ſcandaloſi & in pias aures offenſionem immittentes reſpectiuè*; iſte numero viceſimus ſextus recenſetur. *Omnia opera infidelium ſunt peccata: & Philoſophorũ virtutes ſunt vitia.* Vbi ille alius Doctor, & Antiſtes celeberrimus, eiuſdem dogmatis aut placiti vindex & aſſertor primò comprobat emendationem ab aliis præfixam articulo citato. Nam ſi præcisè legatur, vt in fronte præ ſe litera fert, contrarium ſonabit. Sic enim habetur in vulgari textu doctrinæ illius condemnatæ. *Ad Pelagianiſmum reijcienda eſt illa ſententia. Omnia opera infidelium ſunt peccata; & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Quod pronuntiatum bimembre ſic conceptum laudaret potiùs Eccleſia, quàm

*Ianſ. l. 4. de ſtatu nat. lapſæ c. 17.*

censoria virgula notaret. Aliis ergo terminis opinionem obelisco sacro confixam proposuerit auctor ille in iudicium vocatus & Apostolicæ censuræ obnoxius. Ideóque decessor eius & municeps vigilanter & consultò primam illius effati partem, quâ Pelagianismi fit mentio, vel vt reiectaneam, vel vt mendosam suppressit. Deinde fatetur ille idem *sibi hic aquam hærere* Quamquam difficultatem postmodùm sic ebibit, causatus ex tot articulis, quorum præiudicio videbat prædamnatam esse opinionem suam, quosdam, cuius generis non sit ille iam commemoratus, anathemate reiici tanquam hæreticos. Alios prædicto non absimiles prohiberi solùm vt offensiuos, & scandalosos. *Offensiua autem*, inquit, *propositio aut scandalosa non necessariò hæretica aut falsa est. Sic enim libri nonnulli damnantur non propter falsitatem alicuius doctrinæ, sed quòd insolenti aliqua nouitate, vel alia de causa perturbant animos & offendunt.* Hoc porrò discrimen inter eas propositiones eliciunt ex annexa particula *respectiuè*; quâ laudati Pontifices innuunt non omnes illius censuræ partes singulis assertioni-

Ibid.

bus applicandis; ſed cum ea proportione diſtributiua, vt aliquæ ſeorſum ab aliis ſint hæreticæ, aliæ ſolùm erroneæ, aliæ temerariæ, aliæ ſcandaloſæ, vt prædicta de operibus infidelium.

Quam ſolutionem, prætermiſſis aliis, quæ promptum eſſet illi opponere, compendioſius eſt ex eius ore lubenter excipere, concedendo quod ille conſequentiſſimè diſertis terminis vltrò concludit, nimirum propoſitionem illam eſſe ſaltem *temerariam*, *ſcandaloſam*, *piarum aurium offenſiuam*, *animorum perturbatiuam*, ideóque graui & canonica cenſura notatam. Eſto, demus tanti auctoris, támque frequenter & ſeriò fidem Catholicam ad extremum vſque ſpiritum publicè priuatímque profeſſi, hæreticam non eſſe propoſitionem illam abſque pertinacia prolatam. Cùm ergo qualem diximus agnoſcat & fateatur in Collega breuiter eam proponente; quis non miretur eandem illam tam prolixè, tam ex animo, tam mordicùs ab eodem ipſo teneri, propalàm exponi, acriter propugnari?

## ARGVMENTVM XIII.

*Excæcatis saltem & obduratis deest auxilium sufficiens.*

CVm actualis gratia consistat in illuminatione, & delectatione, illuminationi opponitur excæcatio mentis, delectationi in bono obduratio cordis. Quarum vtramque negant. Aduersarij quidquam aliud esse, nisi *gratiæ subtractionem*; & hoc inde probant, quòd iuxta loquendi modum S. Doctori post scripturas solemnem dicatur Deus hocce hominum genus deserere; ac ita quidem, vt tunc nec videre possint, quod rectum est, quia mente sunt excæcati; nec eo delectari, quod honestum est, quia corde sunt obdurati.

*l. de gr. Chr. c. 10*

Hoc argumentum, tantùm abest, vt gratiam sufficientem destruat, quin potiùs eam maximè confirmat. Nam excæcatio vel obduratio non est subtractio solius efficacis, sic enim excæcati & obdurati essent, quotquot peccarent, uqíque proinde efficaci gratia carerent.

Rationem illi nobis ſubminiſtrant, quia ſic auxilium efficax componitur aut coniungitur cum actu bono, quem intendit, vt ex ſua natura ſit prorſus incompatibile vel cum eius negatione, vel cum actu poſitiuè contrario. Vnde quiſquis omiſſione delinqueret, vel commiſſione excederet, obduratus eſſet, quia careret gratia, ſine quâ non poſſet alterutrum peccatum effugere. Si ergo nihil aliud ſit obduratio, quàm abſentia gratiæ, nec ſit abſentia ſolius efficacis, vt oſtendimus, reliquum eſt, vt ſit prætereà negatio ſufficientis, conferri ſolitæ peccantibus, nec tamen obduratis.

Quòd ſi velint obdurationem illam non eſſe negationem gratiæ temporaneam, ſed æternam; qualis eſt in damnatis: quid dicent de excæcatis & obduratis ad tempus, quos ſcriptura, cum ea quæ S. Auguſt. teſtatur fuiſſe poſteà diuinitùs illuminatos & emollitos? Talis fuiſſe narratur Nabuchodonozor. Tales Iudæi multi tempore Dominicæ conuerſationis, & paſſionis obſtinati, tandémque conuerſi meritis & precibus eiuſdem Domini eorum in cruce

memoris. Tales & alij benè multi, quos legimus & quotidie videmus etiam ad multum tempus talpâ cæciores, ſaxo duriores, & tamen gratiæ vi ſub finem illuminari, emolliri, ac in melius commutari.

Dicimus ergo cor humanum duobus modis obdurari vel ad malum obfirmari. Primò ab homine tam obſtinato, vt aurem Deo interiùs loquenti præbere nolit. Quo ſenſu ſcriptum eſt; Pſ. 94. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Hoc eſt, interpretante Hebr. 3. locum Apoſtolo. *Videte, fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo, ſed adhortamini vosmetipſos per ſingulos dies, donec, hodie, cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Quò reſpiciebat Sap. 2. & ſapiens, cùm diceret. *Excæcauit illos malitia eorum.* In quem ſenſum ita ſcri- l. de fide c 3. ſub med. bit S. Fulgentius. *Obduratus viuit, ſiue qui non conuertitur, deſperans de indulgentia peccatorum ſuorum, ſiue qui ſic miſericordiam Dei ſperat, vt vſque in finem vitæ præſentis in ſuorum criminum peruerſitate* Serm. 88. de temp. *permaneat.* Hæc autem refert poſt S. Auguſt. de hoc genere obdurationis ex-

ponentem hæc ſcripturæ loca. *Peccator, cùm venerit in profundum peccatorum, contemnit.* Et alio loco. *Equus indomitus euadit durus; & filius remiſſus euadit præceps.* Et ſtatim. *Tunde latera filij tui, dum infans eſt, ne induret, & non conſentiat tibi.* Citat etiam Apoſtolum obſtinatos ſic obiurgantem. *Ignoras, quòd patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundùm duritiam cordis tui & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ.* Prou. 18. Eccli. 3. Rom. 2.

Secundò dicitur etiam Deus cor humanum obdurare; quod S. Auguſt. ſic explicat. *Cuius miſeretur, facit eum benè operari, & quem obdurat, relinquit eum, vt malè operetur.* Quam expoſitionem à ſeipſo iuniore aliàs traditam confirmauit iam ſenior; rémque ſæpius repetitam ita breuiter alio loco comprehendit. *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam.* Quam tamen ille numquam ſubmouet, niſi in pœnam abuſus præteriti. Docet enim conſtantiſſimè S. Auguſt. *cæcitatem eſſe impiorum pœnam*; non dicit impij in Deum ſimul ac ſuos parentis, ſed docet id euenire obdurates propter ipſorum impietates vltrò ſuperadditas. l. 1. retr. c. 23. fin. Ep. 105. ante med. In lib. Iob. c. 36.

Quod aliis in locis identidem inculcat: l. 18. c 25. vt in libris de ciuitate, ibi de Iudæis *excæcatis in cordibus suis, præcedentibus eneritus suis.* Et fusiùs exponendo Ioannis tr. 54. p. Euangelium. *Quidam non crediderunt, nec poterant credere, eò quòd occulto, nec tamen iniusto iudicio Dei fuerant excæcati & indurati, deserente illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Dicuntur itaque excæcati, quia superbi. Ita quo- Cap. 11. ad cap. Gall. que post eum S. Prosper. *Cùm aliquos à Deo obduratos legimus aut relictos, magnis peccatis suis*, non Adami, *hoc ipsos meruisse profitemur.*

Cùm igitur ad certam peccatorum plenitudinem accessit cumulus, Deus in pœnam ita deserit sui desertores, vt omni gratia tam efficaci, quàm sufficienti meritò priuentur vel ad tempus, vel æternùm; vt de Pharaone adhuc 1. p. cap. viatore docet S. August. suprà citatus. Et hanc esse mentem illius probat eiusdem apud ipsum variis in locis sedula replicatio. Esse prætereà doctrinam in schola communem constat ex sanctis l. 2. de sum. bono. c. 25. Patribus & Theologis. S. Isidorus *nonnulli*, inquit, *ita despiciuntur à Deo, vt deplorare mala sua non possint, etiamsi ve-*

*lint.* Et Caietanus loquens de meditata inueterataque blaſphemia, de quâ Chriſtus Dominus in Euangelio, peccatum hoc dimitti negat, quia nempe blaſphemis huiuſcemodi *numquam conceditur gratia pœnitendi, exigente hoc maxima illorum nequitia.* S. Fulgentius, vel quiſquis eſt Auctor libri de prædeſtinatione & gratia inter eius opera annumerati, negat Pharaonem quo tempore poſtremùm derelictus eſt & obduratus, accepiſſe vllam gratiam internam. Et S. Thomas reſpondens ad hanc obiectionem, *nullus tenetur ad id, quod non eſt in eius poteſtate*; ſic ait, *hoc poteſt cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuſcumque diuinitus datur, miſericorditer datur. Quibus autem non datur, ex iuſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati.* Et ſubdit hanc eſſe doctrinam S. Auguſtini, quem ibi citat. Conſentiunt alij multi, quos enumerat auctor recentis obſeruationis & cenſuræ ad memoratum S. Fulgentij librum.

*Matth.* 12. Ientac. 8. q. 1.

*Cap.* 14.

2. 2. q. 2. a. 5.

## ARGVMENTVM XIV.

### *Peccatum originale causa subtractæ gratiæ.*

l. 21. de ciu. c. 12. *Poena æterna ideò dura & iniusta videtur sensibus humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altißimæ purißimæque sapientiæ, quo sentiri poßit, quantum nefas in illa prima præuaricatione commissum sit. Quantò enim magis homo fruebatur Deo, tantò maiore impietate dereliquit Deum, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternũ. Hinc est vniuersa generis humani massa damnata, quoniam qui hoc primitùs admisit, cum ea, quæ in illo fuerat radicata, sua stirpe punitus est.* Ex quibus sæpe repetitis inferunt duo. Primum est, gratiam iustè negari paruulis reprobandis. Alterum, etiam iustè negari maioribus, siue alioqui baptizatis, siue non. Ad quæ dicimus neutrorum meritis deberi primam gratiam; Rom. 11. nam, vt ait Apostolus, *Si autem gratia; iam non ex operibus : alioqui gratia iam*

*non est gratia.* Deberi tamen ex gratuita Dei promissione, & infallibili fidelitate. Est enim *fidelis Deus, qui se nostrum debitorem fecit; non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo. Parum erat promißio, etiam scripto se teneri voluit, velut i faciens nobiscum chirographum promissorum suorum in scriptura* dicente velle Deum omnes homines saluos fieri; nolle, vt pereat vllus, seriò vocare, sedulóque omnes iuuare, filium suum vnigenitum omnium causa misisse. e. 3. Praef. in

Atqui inter omnes numerantur & paruuli, propter quos omnes paruulus factus est omnium maximus. Quòd autem non omnibus prosit in executione, quorum salutem habet in intentione, culpa parentum est. Mentem S. Augustini hac de re tam anxij, tam cunctabundi quis altiùs penetrauit, quis expressit intimiùs, quàm S. Prosper. Hic ergo libro posteriori de vocatione gentium illud Apostolicum, *vult Deus omnes homines saluos fieri*, extendit etiam ad paruulos; ac sibi ipse deinde quærenti, *quomodo omnes homines saluos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ* Cap. med.

*gratiæ sint capaces*, ita respondet. *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus; quâ vtique si benè eorum vterentur parentes, etiam ipsi per eosdem iuuarentur. Omnium namque exordia paruulorum, totáque illa principia necdum rationalis infantiæ sub arbitrio iacent voluntatis alienæ, nec vllo modo eis nisi per alios consuli potest; & consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto, vel prauo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confeßione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dißimulatione non credunt: & cùm ipsi nec præsentis vitæ desiderium habuerunt, nec futuræ; quàm ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci.* Et posteà pergit extollere *generalem Dei benignitatem, & specialem misericordiam* tam erga maiores, quàm paruulos.

*Ibid. sub fin.*

Hæc porrò Dei erga misellulos infantes misericordia nonnullos eò patres & Theologos multos impulit, vt dicerent in regenerationis sacramento ministri dissimulationem ac malitiosum intentionis defectum ab eo suppleri, de

quo

quo scriptum est. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* S. Chrysostomus, *Pater*, inquit, *& Filius & Spiritus sanctus omnia facit. Sacerdos & manus, & linguam præbet. Neque enim iustum est propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi.* Et D. Thomas, *Quidam*, inquit, *dicunt, quòd requiritur mentalis intentio in ministro: quæ si desit, non perficitur Sacramentum, sed hunc defectum in pueris (qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum) supplet Christus; qui interiùs baptizat.* Quod deinde fatetur, *posse dici quantum ad vltimum effectum, qui est iustificatio à peccatis.* Angelico Doctori sui consentiunt familiares, & discipuli. Vt Dominicus Sotus in quartum sententiarum. *Vbi deest intentio ministri, defectum illum in pueris, qui baptismum flaminis habere nequeunt, supplet Christus, qui interiùs baptizat.* Et Ioannes Viguerius, tractatu de sacramentis in generali, *Vbi Sacerdos ex malitia in baptismo, vel in pœnitentia falleret; Deus, qui facienti, quod in se est, non deficit in necessariis, nec alligauit virtutem suam sacramentis, sua infinita bonitate suppleret: quamuis regulariter character non imprimatur, nisi per Sa-*

Ioan. 1.
hom. 85. in Ioan. fin.
3. p. q. 64. art. 8. ad 2.
dist. 1. q. 5. art. 8 sub med.
cap. 6. v. 6. med.

*cramentum. Sed in tali casu, si Deus suppleat principalem effectum, qui est gratia, supplet etiam minùs principalem, iuxta regulam Topicorum; Si id, quod magis videtur inesse, inest; & id, quod minùs.* In promptu sunt, & alij multi, vt Alexander de Hales in Summa. Durandus in quartum sententiarum, quem citat & sequitur Gabriel; quem plus etiam dicentem post alium Doctorem ab eo laudatum consule in eundem librum Magistri distinctione quarta, quæstione secunda, articulo tertio. Vbi vult vterque Christo baptizante sæpe diuinitus totius sacramenti defectum. Sed quidquid sit de totali hoc supplemento, constat ex dictis communem esse sententiam de partiali circa Ministri intentionem. Quod inter recentiores scholasticos, & Controuersistas fatetur etiam Valentia; & inter Morales Angelus à Clauasio; prætermissis aliis non paucis.

*4. p. q. 48. membr. 3. art. 1.* — *dist. 6 q. 2. fin.* — *Ibid. q. 1. a. 3. dub. 2. l. n.* — *dub. 2. lit. O.* — *tom. 4. d. 3. q. 5. p. 3.* — *verb. bapt. 4 it. 7 fin.*

Huius autem intentionis necessitatem hoc canone sancit Tridentinum. *Si quis dixerit in Ministris, dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Quæ canonicæ legis

*can. 11 de sacram. in genere.*

ſanctio conſtituitur apud Eugenium Papam IV. in Decreto ad Concilium Florentinum appoſito. *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus; verbis, & intentione miniſtri, quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum.* Ex quo loquendi modo ſimul ac ratione coniiciunt aliqui prædictam intentionem non conditionis ſolùm, ſed & partis ſacramentalis inſtar eſſe. Cuius ſupplementum argumento eſt, quàm nolit Deus perire paruulos.

*ſub med. Decreti.*

*Hugo Cardin. d. 2. de ſacram. in genere.*

Quanquam qui concederet nolle Deum, vt infantes aliqui hæreditatem ſibi indebitam adirent, non neceſſariò dare teneretur eum velle, vt adulti non modò damni, ſed & ſenſus promerita pœna puniantur, niſi propria peccata ad originale addiderint, ſimúlque ad ea vitanda adiuti fuerint. Cùm hoc ſecundum, & duplex genus pœnæ ſit longè grauius, & à viſceribus diuinæ miſericordiæ remotius, quàm primum illud & vnicum. Quod tamen eò dictum velim, vt conſecutionem vnius ex altero nullam eſſe conſtet; non quaſi Deo negare videar voluntatem ſaluandi omnes paruulos. Ex qua voluntate velut à

maiori ad minus arguitur, si quod Deo videtur magis cõuenire, non tamen conuenit, certè nec quod minùs: aut, si propter solum originale non vult infantes priuare medio, quo regnum cælorum ingredi possint; certè neque propter illud ipsum priuabit adultos subsidio, quo vitare possint præsentissimum periculum non modò damnationis prædictæ, sed & alterius æternos, & intolerabiles cruciatus inuehentis.

Vlteriùs tamen vrgent hoc argumentum, vt causæ paritatem inter vtrosque ex mente S. Doctoris ostendant. Varias enim eius auctoritates colligunt, quibus suadeant non damni solùm, sed & sensus pœnam subire infantes sine baptismo mortuos. Nam modò dicit, *eos sub Diaboli esse potestate captiuos.* Modò negat *istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam paruulis non baptizatis tribuere.* Quod ille videtur mutuatus ex eo Euangelij loco, vbi Benedicti vocantur ad regnum, maledicti mittuntur in gehennam, nulla mentione facta medij status inter hos duos extremos. Modò detrudit eos, *in ignem æternum.* Cui subscribit, vt semper, S. Fulgentius dicens

*l. 1. de nupt. & concupisc. c. 20.*

*l. 1. de pecc. mer. & rem. c. 28.*

*Matth. 25.*

*l. 1. oper. inch. contra Iul.*

illos, *ignis æterni sempiterno supplicio puniendos*. Quibus addi possēt ea loca, quæ producit illustrissimus Antistes Florentius Conrius eo libro, quem inscribit. *De statu paruulorum sine baptismo decedentium*. Neque verò deest ratio, cùm enim pœnæ sit grauioris priuari Deo, quàm igne cruciari, quid mirum est paruulos cælo deturbatos ad tartarum relegari? *l. de fide ad Petr. c. 27.*

Ad hæc respondet S. Aug. *Se definire non posse, qualis & quanta sit paruulorum pœna.* Vbi tamen fatetur illos, *esse in damnatione omniū leuissima*; aut, vt ait in alio loco, *omnium mitissima.* Quòd ergo paruuli leuissimè, aut mitissimè puniantur, quacunque tandem ratione id fiat, quod ignorare se dicit, ex eóne sequitur alios grauissimis, & acerbissimis tormentis cruciari propter culpas, defectu gratiæ sufficientis, & necessariæ, incuitabiles? vocat autem *captiuos diaboli*, propter peccatum cuius auctor, aut primus impulsor euasit initio victor generis humani, ita vt quidquid inde liberatum non sit, sub eius dominio sit; non tamen sub eadem lege, aut conditione, verùm sub ea, quam suæ ministris iustitiæ permittit is, qui verus dominus est. Cùm *l. 5. contra Iul. c. 8.* *l. 1. de pecc. mer. & rem. c. 16.*

negat illis medium locum, non eum negat, quem agnoscit sensus fidelium, sed qualem fingebat secta Pelagianorum, negantium originale peccatum, & fatentium paruulos omnes esse quidem participes vitæ æternæ, non tamen regni cælestis, nisi baptizentur; vnde baptismi necessitatem admittebant, non ad obtinendam veniam peccatorum; sed ad consequendum regnum cælorum. Vnde loco contra nos allato subiungit S. Aug. ita de paruulis sentire, *istos malè credentes, vt quasi merito innocentiæ suæ sint in vita æterna, sed, quia non sunt baptizati, non sunt cum Christo in regno eius.* Et scribens ad Bonifacium Papam primum. *Secundum Pelagianum hæreticum ista dicunt; paruulis videlicet baptismum necessarium, non propter remissionem peccatorum, sed tantummodo propter regnum cælorum; dant enim eis extra regnum Dei locum salutis, & vitæ æternæ, etiamsi non fuerint baptizati.* Et posteà. *Omnibus ætatibus dicunt esse baptismum necessarium, vt scilicet illa creatura in Dei filios adoptetur, non quòd aliquid ex parentibus trahat, quod sit lauacro regenerationis expiandum.* Error ex errore non inconsequenter dedu-

*l. 1. de pecc. mer. & rem. c. 28.*

*l. 1. c. 22.*

ctus; cùm enim inter vitam & mortem nihil ſit medium, & illi negarent culpam originalem, quæ mors eſt animæ, iis per conſequens vitam animæ tribuebant, non tamen adoptionem in filios nec hæreditatem, ad quarum vtramque baptiſmum requirebant. Hunc ergo medium ſtatum negat S. Auguſt. non alium longè diuerſum, in quo paruulos eſſe credimus. Neque mouet, quod afferunt ex Euangelio, cùm ibi Chriſtus alloquatur adultos, quorum miſericordiæ aut inhumanitati præmium aut pœnam retribuat.

Cùm verò meminit ignis æterni, loquitur dubitanter; ait enim *neſcire ſe qualis & quanta ſit horum infantium pœna*: Aut fortè, ſi mauis, agnoſcit in iis *leuiſſimum & mitiſſimum* aliquem doloris ſenſum ob iacturam factam. Sicut enim, cùm agit de inferno, ſemper illic agnoſcit verum ignem, quo phyſicè plectantur ſaltem corpora, quidquid ſit de eius actiuitate phyſicane an morali in ſubſtantias ſpiritales: ita cùm agit de alio, ſæpe intelligit metaphoricum; quo ſenſu dicebat Apoſtolus: *Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* πυρȣμαι igne

*l. 5. contra Iul. c. 8.*

*1. Cor. cap. 11.*

*P.* 56. torreor. Et ante illum Dauid. *Ignis ante ipsum præcedet.* Vbi S. August. ignem vſurpari putat omninò metaphoricè, ſiue bonis ſiue malis adhuc viatoribus locus applicetur. Sicut etiam alibi locum hunc Apoſtoli; *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, de dolore vel igne tribulationis paſſim exponit. Ad libellum citati Reuerendiſſimi illius Propræſulis Thuamenſis, vel ipſa lectio docet nihil ibi proponi, quod partim ex dictis ſolutum non ſit, aut aliunde facilè ſolui non poſſit. Quin etiam ex mente partis ab eo ſtantis, à nobis diſſidentis, & opuſculum illud producentis aut etiam approbatione ad frontem eius præfixa dignantis, *Huic operi quædam addi poſſent, quædam etiam iuxta S. Auguſtinum rectiùs aliter dici.* Subſequebatur ratio. Ad quam reſpondemus, quidquid ſit de maiori aut minori grauitate vtriuſque pœnæ, non ſequi ex eo, quòd infligatur vna, duplicem infligi: videlicet illam eandem, prætereáque alteram poſitiuè grauiorem; eſto, pœna damni ſit priuatiuè maior, quia maius eſt bonum, quo damnati priuantur, quàm malum, quo cruciantur.

1. Cor. c. 3.

Cap. 69. Enchir. & l. de fide & oper. c. 16.

Ianſ. l. 2. de ſtatu nat. lapſæ c. 25.

Hæc autem, vt præmonui, dicta sunto, non vt aggrauetur misellorum infantium calamitas, aut tollatur generalis in illos Dei benignitas, quâ, posito licet peccato originali, velit eos omnes saluos fieri, in eúmque finem omnibus media præparauerit: sed vt aperta fiat paritatis inter maiores & minores, aut consequētiæ ab aduersariis deductæ futilitas; dum à paruulorum exclusione è cælo ipsis indebito argumentantur ad maiores Orco deuouendos, aut à pœna omnium *leuissima* consequentiam detorquent ad aliam ingentem & ineffabilem; ídque propter aliquot culpas ineluctabiles toti naturæ sibi derelictæ, & omni gratia destitutæ; cuius derelictionis meritissimò stupendæ nihil aliud causæ prætexunt, quàm peruetustum illud peccatum, aliis condonatum, aliis ne nomine quidem tenus cognitum.

Ad maiores ergo quòd attinet, ex eiusdem lectione didicimus, & sæpè suprà retulimus, nullius quidem merito deberi reddíne primam gratiam, liberaliter tamen ex puráque misericordia omnibus ab eo communicari, qui vult omnes saluari, qui propter omnes filium

huc misit, qui vocat omnes, qui præce-
Psal. 36. ptum *declinandi à malo, & faciendi bonum* imponit omnibus, qui obtemperare recusantes toties increpat, quamdiu sunt in viuis, & mortuos rebelles æternùm punit. Quam punitionem æternam pati non posset eius infinita misericordia, nisi primi parentis pecca-to adderentur & alia, quæ si nullatenus vitari possent, libera non essent.

Sed aiunt, sublata licet omni gratia, peccato peccatum vitari posse, putà adulterio adulterium, furto furtum, & similia, de quibus ita concludit Poëta Theologus.

S. Prosp. carm. de ingrat. post med.

*Manet ergo Voluntas*
*Semper amans aliquid, quò se ferat; & labyrintho*
*Fallitur, ambages dubiarum ingressa viarum.*
*Vana cupit, vanis tumet & timet; omnimodaque*
*Mobilitate ruens, in vulnera vulnere surgit.*

Vnde volunt increpari viuos, & damnari mortuos propter scelera, quæ vitare possent, si alia perpetrare mallent. Egregium sanè libertatis aut potentiæ genus.

Ad quod respondemus conformiter iis, quæ contrà similem obiectionem ipsi replicant. Dum enim in schola dubitatur aut quæritur, quomodo Christus, cùm esset impeccabilis, voluntariè tamen & liberè *humiliauerit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis* sibi diuinitus iniunctam; negant eius libertatem & meritum in obediendo ab iis rectè explicari, qui sic eam restringunt, vt velint illum ideò tantùm dici liberè mortuum, & salutem nostram promeritum; quòd hanc potiùs quàm aliam, ex hac potiùs quàm alia circumstantia temporis aut loci, ex maiori vel minori actus intensione aut vehementia, ex hoc vel illo fine aut motiuo, per hunc potiùs actum quàm per alium numero distinctum eligere mortem potuerit; cùm illi non præciperentur hæc mortis adiuncta, ideóque liber & indifferens ad hæc vel alia maneret. Hoc autem meritissimò negant, nam inter alia, quæ contrà sunt, nulli non obuia, licet hoc sensu Christus maneret physicè liber, & indifferens quoad modum passionis, hoc est, ad moriendum

*Iansf. to. 3 l. 7. c. 15.*

*Philipp. 2.*

hoc vel illo modo ex prædictis, non tamen indifferens esset quoad substantiam rei, hoc est, ad moriendum vel non moriendum, posita semel necessitate antecedenti implendi præcepta, inter quæ supponitur ex Apostolo iam laudato fuisse vnum, quo diuinitus mori iuberetur. Ex quo fieret Christo non esse vertendum laudi, nec agendas ei gratias, quòd pro nobis simpliciter, & absolutè sit mortuus, quandoquidem in hac opinione, non fuisset simpliciter, & absolutè liber ad moriendum; sed tantùm quod in hoc colle, hoc die vel anno, ex tali affectu potiùs quàm alio, & ita de cæteris huiusce modi, quæ meritum eius, & gratitudinem nostram non parum minuerent. Quemadmodum si quis ex morali, & physica necessitate teneretur soluere tibi mille aureos, non ideò te debitorem illius summæ simpliciter, & absolutè reputares apud eum, qui moraliter, & physicè compelleretur eos tibi reddere: quanquam liber, & indifferens is esset ad repræsentandum tibi pretium in aurea, vel argentea moneta, modò proba, domi vel in foro, ex hoc affectu vel alio,

feria quinta vel ſexta, niſi fortè tunc maximè indigeres: quæ ſpecialis indigentia non reperitur in præſenti caſu; cùm paſſio Chriſti præſens in mente diuinâ ſecundum exiſtentiam obiectiuam, quocunque tempore, loco, vel alio circumſtantiarum articulo futura ſit in executione, proſit iis omnibus, ad quos efficaciter ordinatur, ſiue illi realem aduentum Domini præceſſerint, ſiue ſequantur. Quare hæc opinio vulgaris licet vtcunque domini libertatem explicet in genere actus phyſici, aut potiùs adiunctorum eius, non tamen in genere moris aut actus ſimpliciter, & propriè meritorij, ac proinde multum detrahit de Chriſti erga nos beneficio, multum de gratitudine noſtra; videtúrque minùs conſentanea ſcripturę loquenti non ſolùm de modo, ſed & de ſubſtantia mortis dominicæ. *Factus obediens vſque ad mortem.* Philipp. 2.

His poſitis concludimus ex eorum mente, & doctrina aduerſus illos, quanquam reprobi concedantur pollere libertate, & indifferentia ad euitandum hoc vel illud peccatum per lapſum in aliud, atque ita, vt dicebat S. Proſper,

*In vulnera vulnere surgant.*

Non ideò tamen dici posse eos damnari, quod peccauerint, cùm ad id necessitentur defectu facultatis ad resistendum sufficientis; sed quod tali, vel tali modo peccauerint, vno scelere posthabito, dum ad aliud transeunt, velut equites desultorij. Quare Doctores illi huic argumento diffisi aliud semper, & vbique preferunt dicentes omne peccatum esse liberum, quia voluntarium, hæc enim duo pariter confundunt; aut illud esse liberum, quia semper est in peccatoris potestate, hoc est, inquiunt, voluntate; ac proinde illum iustè damnari, quia peccare voluit. Ad quod addendum erat, peccare voluit, quia per nos ille omni gratia denudatus non peccare non potuit; ideóque secundùm principia nostra damnatus est, quia fecit id, à quo seipsum abstinere non potuit; potuisset tamen, si gratiam habuisset saltem aliquam, sed nullam omnino Deus illi dare voluit. Verùm hac de re pluribus aliàs.

*Ianf to.3. l.5.c.3.*

Ex dictis manifestum relinquitur, quo sensu tam sæpe dicat S. Aug. eamdem esse causam infantium, & adulto-

rum. Hoc enim ſecundum omnia non procedit, cùm maiores ratione vtentes, libertate præditi, & capaces auxilij actualis propriis operibus præmium, aut pœnam mereantur; ſecus de paruulis. Sed ideò dicuntur in quibuſdam eſſe paris, aut eiuſdem conditionis, quia neutrorum meritis datur gratia prima ſiue actualis, maioribus, ſiue habitualis, infantibus. In eóque comparat vtroſque cum Chriſto Domino, *qui nullis humanis præcedentibus meritis, cùm & ipſe ſit homo, liberator factus eſt hominum.* *l. de præd. ſſ. c. 12.* Vnde ſaltem in hoc articulo vult membra capiti ſuo conformari; ideóque multis appoſitè ad rem præſentem interiectis ita proſequitur. *Appareat nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, vnde ſecundùm vniuſcuiuſque menſuram ſe per multa eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus.* *Ibid. c. 15.* Vbi non aliter ait eandem, aut ſimilem eſſe gratiam, niſi quia meritum omne tam in capite, quàm in membris illa præcedit. Quapropter ita concludit libro ſequenti, vbi de prædeſtinaaione ad gratiam. *Nullum eſt illuſtrius prædeſti-* *l. de don. perſ. c. 24.*

*nationis exemplum, quàm ipse Mediator. Quisquis fidelis vult eam benè intelligere, attendat ipsum, atque in illo inueniat & seipsum.* Et absquè mora. *Qui ergo hunc fecit ex semine* David *hominem iustum, qui numquam esset iniustus, sine vllo merito praecedentis voluntatis eius; ipse ex iniustis facit iustos, sine vllo merito praecedentis voluntatis ipsorum; vt ille caput, hi membra sint eius.*

---

## ARGVMETVM XV.

*Ad quid ergo tot admirationes?*

AD quæstiones enim vbique propositas, cur hic potius quàm ille liberetur, non aliter respondet, quàm exclamando, quàm stupendo, siue de paruulis fiat mentio, siue de maioribus. Paruulos intuebatur, cùm hæc scriberet. *l. 6. contra Iul. c. 14.* *Quod multò est admirabilius, aliquando adoptat in filium, quem format in vtero immundissimæ fœminæ; & aliquando non vult esse suum filium, quem format in vtero suæ filiæ. Ille quippe ad baptismum, nescio qua prouisione peruenit, iste repentina morte*

*non*

*non peruenit. Atque ita Deus, in cuius potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formauit in diaboli domicilio, & non vult esse in regno suo, quem formauit in templo suo. Aut, si vult, cur non facit quod vult? Non enim, quod soletis de maioribus dicere, Deus vult, & paruulus non vult. Certè hîc, vbi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas, quid restat nisi misericordiæ & veritatis profunditas?* Cuius *profunditatis horrerem obstupuisse vel ipsum Apostolum* alio loco miratur. Adultos respiciebat, cùm ita loqueretur. *Cur illum potius quàm illum liberet aut non liberet, scrutetur, qui potest, iudiciorum eius tam magnum profundum, veruntamen caueat præcipitium.* Vbi prolixam Epistolam accumulandis exclamationibus impendit. Et alibi S. Crucis dimensiones exponendo. *Illud ex ligno Crucis, quod non apparet, quod fixum occultatur, profunditatem significat gratuitæ gratiæ. In quo multorum ingenia conteruntur, id vestigare conantia, vt ad extremum eis dicatur, ô homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Quod sæpius repetitum alij vertebant in ludibrium. *Respondeant qui nos irrident,*

*l. 2. ad Bonif. Pap. c. 7.*

*Ep. 105. sub med.*

*Ep. 120. c. 26.*

*l. de corr. & gr. c.*

*quando in rebus talibus exclamamus, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius.* Vt ante illum exclamauit ob eandem causam Apostolus, *qui cùm hæc diuinorum operum mysteria supra mensuras humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis suæ profudisset excessu, totam expositionis rationem transtulit ad stuporem, & admirator eorum, quæ protulerat, exclamauit & dixit, ô altitudo diuitiárum sapientiæ & scientiæ Dei!*

S. Prosp. l. 1. de voc. gent. c. 4.

Solutionem præmisit S. August. dicendo suprà mirum esse, cur Deus, in cuius potestate sunt omnia, quíque potest omnes tam facilè liberare, non tamen omnes de facto liberet. Cur non fit in omnes efficax voluntas, quam habet, saluandi omnes. Cur reipsa non prosit omnibus passio Christi ex eius intentione animóque syncerissimo pro omnibus tolerata. Cur denique non omnes in actu secundo liberet tanta gratiæ profusio ex paterno Dei ac mediatores corde, tanquam ex vberrimo fonte, in omnes homines abundantissimè deriuata. Quamquam enim ille *cum tanta reuerentia de nobis disponat,* vt libertatis nostræ, cuius est conditor, nolit esse destructor,

Cap. 12.

*habet tamen magis in potestate voluntatis hominum, quàm ipsi suas.* Ideóque suauiter & absque violentia ad nutum suum *agit, quod vult in cordibus hominum, vt etiam per eos impleatur, quod manus eius & consilium prædestinauit fieri.* Quæ cùm ita sint, quis non miretur in hoc negotio prædestinationis humanæ tam multis sufficienter duntaxat prouideri, subtrahi verò saluberrimum illud auxilium, quo tanta facilitate, támque infallibili modo salutem nostram Deus operari posset, si ipse vellet? Cur autem illam hac via nolit in omnibus procurare, eius solius est cognitio, cuius & dispensatio. *Quis enim cognouit sensum Domini?* Quod in hanc eandem sententiam breuissimè dictum retundit vanam eorum curiositatem, qui, cur vni potiùs quàm alteri suppetias è cœlo veniat *auxilium quo*, rationem perscrutantur in ipsis creaturis.

*l. de corr. & gr. c. 14.*

*l. de præd. SS. c. 20.*

*Rom. 11.*

Sic aliqui, quod suprà tetigimus, causam rejiciunt in præuiam vnius vigiliam & agilitatem, in alterius somnolentiam & torporem, vt cum suis Massiliensibus Cassianus, qui familiam ducit inter eos, vir cætera doctus & pius. *Cùm*

Collat. 13. c. 8. *Deus in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Et
Cap. 12. posteà. *Deus exspectat nos, vt misereatur nostri*, primam gratiam donaturus aut secundùm illos redditurus. Quæ phrases ei solemnes stomachum mouent omnibus diuinæ gratiæ studiosis. Quorum præcipuus, vbi Collatorem memoratum initio libri aduersus eum conscri-
S. Prosp. l. contra Collat. p. pti ita commendasset; *vnius potißimùm definitiones, quem non dubium est illis omnibus in Sanctarum scripturarum studio præstare, referemus*; pro merito deinde illum accipit & exagitat, non ignarus pœnitentiæ, quam propter suum iunioris errorem non disparem paulò ante
l. de præd. SS. c. 3. professus erat S. August. iam maturior. Pro defensione eiusdem erroris tanquam pro aris & focis pugnauit Faustus Regiensis Cassiano ferè æqualis tempo-
Faust. Reg. l. 1. de gr. & lib. arb. c. 7. re, superior & dignitate & errore. *Vt gratiam nobis Deus impertiret, sola fidei nostræ deuotione contentus fuit*, intelligendo primam gratiam reddi merito fidei viribus nostris exertæ. Vnde aliquantò

pòst. *Prima vocatio compendium fidei requirit à nobis; sequentis verò operis gratia redemptis, ablutis, innouatis sedulitatem operis & curam laboriosæ seruitutis indicit.*

Dicebant itaque credendi voluntatem atque adeò fidem ipsam, aut è contrario supinam & voluntariam vtriusque omissionem esse causam, cur hic, non ille recipiat primum gratiæ donum; quam Deus dare velit, si tamen *in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit.* Quæ verba Cassianus, cum eoque Faustus Regiensis exceperunt è postrema Pelagianorum confessione; qua tandem volentes nolentes gratiam internam admiserunt: ita tamen, vt illa sub meritum prædictæ voluntatis fideique caderet. S. August. *Dicunt Pelagiani meritum nostrum in eo esse, quod quærimus eum, & secundum hoc meritum dari eius gratiam, vt inueniamus eum.* Et statim. *Omninò laborant, quantùm possunt, ostendere, gratiam Dei secundùm merita nostra dari; hoc est, gratiam non esse gratiam. Quibus enim secundùm meritum redditur, non imputatur merces secundum gratiam, sed secundùm debitum:* Sicut apertissimè

Cass. supra.

l. de gr. & lib. arb. cap. 5.

*nium, hoc non vidisse istos, qui nobiscum errorem illorum hæreticorum catholica auctoritate condemnant.* Dicebant enim Pelagiani primæ gratiæ donum, aut munus rependi meritis iam præteritis, isti verò futuris.

Alij docent efficacis gratiæ subtractionem esse potiùs effectum misericordiæ, quàm iustitiæ. *Vt in Sidoniis, & Tyriis, quos quia præsciebat Dominus à fide fuisse postea recessuros, cùm, factis apud se miraculis, credidissent, ideò misericordia potiùs non illic ea fecit, quoniam grauiori pœnæ obnoxij fuerint, si fidem quam tenuerant, reliquissent; quàm si eam nullo tempore tenuissent.* Cuius opinionis Auctorem anonymum laudat quidem, vt hominem, *doctum & acutum*, ei tamen non assentitur; *nam si dicatur, cur non factum est, vt crederent potius, & hoc eis præstaretur, vt antequam fidem relinquerent, ex hac vita migrarent, quid responderi possit, ignoro.* l. de don. pers. c. 10.

Alij aliter opinati, sed in assignanda causa collatæ, vel subtractæ gratiæ omnes sunt allucinati; quotquot aliunde rationem scrutati sunt, quàm ex abysso diuinæ misericordiæ, & iustitiæ; qua-

rum illa sic omnium periculis generatim occurrit, vt quosdam specialiter in tuto collocet; hæc verò quibusdam subtrahit non quidem quod satis est, aut necessarium ad salutem, sed quod aliis confertur ad cumulum, quídque tam his, quàm illis est indebitum: vt discernamus quid veniat de misericordia, quid de iudicio, & æternum omnes vnanimi voce ac corde concinamus; *misericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine.* Dubitationi verò nimium frequenti, cur illum efficaciter iuuet, illum tantùm sufficienter, respondeamus ceruicem Domino iustissimo, patríque omnium amantissimo submittentes, *Hoc multum est ad me, abyssus est, profundum est: Admiratione exclamare possum, disputatione demonstrare non possum, quare Gentes illuminantur, Iudæi excæcantur. Quare quidam paruuli sacramento baptismatis abluuntur, quidam verò paruuli in morte primi hominis relinquuntur. Multi de isto profundo quærentes reddere rationem, in fabulas vanitatis abierunt.* Vbi vides eum semper & vbique inter illas admirationes loqui de actuali illuminatione, & ablutione gratiam efficacem certò subsequente,

Psal. 100.

Serm. 7. de verb. Apostol. med.

non verò possibilitate, aut sufficientia nemini non præsentanda, benè memorem eorum, quæ cum suis toties inculcauit, aut velut indubitatum supposuit nulli deesse, quod satis est, vt salutem consequi possit; quamuis vnde efficacitet, & reipsa saluentur, nescio quid, speciale non omnibus semper adsit.

Verùm, data semel prædicta gratiæ sufficientia, videro nonnullis adhuc vnum aut alterum hìc ad calcem huius disputationis hærere scrupulum. Primus oritur ex hoc Apostoli dicto communi. *Quis enim te discernit?* In quem locum ita S. August. *Nunquid per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* Atqui ex dictis gratia sufficiens nulli non communicatur: per eam ergo non discernitur vnus ab alio. Secũdùm iniiciunt tot preces, quibus continuò gratiæ donum à Deo postulamus. 1. Cor. 4. l. de præd. ss. cap. 5.

Quis autem tam anxiè, & sollicitè petat & ambiat, quod oblatum, & parabile semper habet ad manum? Ad hæc dicendum, quod etiam patet ex sæpè dictis, hoc vtrumque procedere potissimum de efficaci gratia: aut si placet il-

naturæ integræ, quis eum rectè agentem discernat à scipso nihil operante, respondeant ipsis, & dicant cum Apostolo. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quem locum sic explicat S. Aug. *id est, non ego solus, sed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei sola, nec* Apostolus *ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Quia juxta S. Ambrosij dictum. *Vbique Domini virtus studiis cooperatur humanis.* Quod S. Aug. rescribit ad Papam Bonifacium; cuius successor. *Nos*, inquit, *cooperatores sumus gratiæ Dei.* Et alio loco S. August. exponens illud Dauidicum: *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet; Non*, inquit, *sicut quidam putant, quòd ipsi faciant. Nullos enim videtur attendisse, cùm dixit, & ipse faciet; nisi eos, qui dicunt, nos facimus, id est, nos ipsi nos ipsos iustificamus. Vbi quidem operamur & nos, sed illo operante cooperamur.* Vnde alibi. *Vbi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium*: cuius concursu, cum gratia homo progrediens à stante, aut regrediente discernitur.

*1. Cor. 15.*

*l. de gr. & lib. arbitr. cap. 5. sub fin.*

*l. 4. c. 11.*

*Calest. 1. sub fin ep.*

*l. 36.*

*l. de nat. & gr. c. 31. & 32.*

*l. de gr. & lib. arbitr. cap. 2. fin.*

Ad posterius dubium respondemus postulandam esse gratiam non effica-

cem modò, sed & sufficientem, quia nescimus, vtrùm ex hypothesi petitionis nostræ ex vna gratia profectæ aliam ad vlteriora necessariam dare statuerit, aut ea nos in pœnam incuriæ ac neglectæ postulationis priuare. Quemadmodum de efficaci sentiunt, qui solam eam agnoscunt. Sicut enim *nullus inuocauit Dominum, & derelictus est ab eo;* In Ps. 63. p. *nullus sperauit in eum, & desertus est ab eo:* ita qui nec inuocare dignatur, nec sperare satagit in eum, qui dedit omnibus, vnde vtrumque possent, iustè deseritur ab eo, cuius ante desertor exstiterit. *Sic* L. de don. pers. c. 6. *enim voluntate sua quisque deserit Deum, vt meritò deseratur à Deo.* Ad quod Gallorum pronuntiatum à S. Prospero rescriptum ita respondet S. Aug. *Quis hoc negauerit? Sed ideò petimus, ne inferamur in tentationem, vt hoc non fiat.* Et vtinam non fiat! Fiat tamen quidquid visum erit Opt. Max. omnium Parenti, & Domino, *cui si totum dederimus, tutiores viuemus,* Ibid. *quàm si nos illi ex parte, & nobis nosmetipsos ex parte commiserimus.*

## *Epilogus.*

HÆc vt prælibaremus causa fuit, non scribendi prurigo; quippe qui

hoc nos contagio morbíque cauſa carere ſentiamus. Non in hoc ingeniorum diſſidio, circa partes ira vel ſtudium; quorum cauſas procul habeamus. Non aliqua vel φιλαυτία, vel proprij conatus fiducia; quaſi quid apertè viderimus in ea re, cuius latebras è re noſtra Deus eſſe iudicauit; *Vtile quippe eſt propter humilitatem ſaluberrimam, vt quales futuri ſimus, neſciamus, ne tanquam ſecuri altà ſapiamus.* Non denique alieni meriti obliuio; qui probè meminerimus illud Patris ac Doctoris modeſtiſſimi magnatem diuerſæ ſententiæ virum alloquentis. *Cùm liberè reſpondemus, nulla contumaciæ ſeu contumeliæ debemus ſuſpicione notari, cùm nec noſtræ humilitatis, nec veſtræ ſimus dignitatis immemores.* *Ep. 107. ſub med.*

Huius ergo proluſionis alia certè ratio non fuit, præter animum pium & gratum erga Deum omnium ſaluatorem, erga Chriſtum omnium Redemptorem, cuius in omnes ſumma benignitas, profuſa liberalitas nullum perituris obmurmurandi locum relinquat; quia beneficiis exaggerati nihilominus ingrati ſunt, rebelles ſunt, ideóque, Apoſtolo teſte, *inexcuſabiles* ἀναπολόγητοι: *Vt iuſtificetur Deus in ſermonibus* *S. Fulg. l. 1. ad Traſim. 6. 1.*

*ſuis & vincat, cùm iudicatur* inclementiæ nomine is, cuius miſericordiæ non eſt numerus. Neque verò defuit pia commiſeratio generis humani, cuius par-
Rom. 1. tem maximam ad reſtim adigit opinio,
Pſ. 50. cui diſſentimus.

Accedit cultus & honor in præcipuum Doctorum ac cœlitum, qui, quamquam eſt non inuidia minùs, quàm tot eorum panegyricis maior, à multis tamen ſuarum ipſius laudum præconibus non tam in applauſum, quàm in offenſionem proclamatur; quaſi in plauſibilem aliquorum gratiam & aliorum longè plurium incredibile damnum tenacior diuinæ liberalitatis æſtimator. Cuius quidem opera, qua complectuntur quæſtiones reconditas de origine animæ; de natura & traduce peccati originalis; de Angelica vel ſimplicitate vel compoſitione; de hominum ad gloriam electione præconcepta ante vel poſt præuiſa ab æterno merita, ita de quibuſdam aliis abſtruſioribus nec ita cognitu dictúve neceſſariis articulis; licet fide Chriſtiana vel auctoritate Apoſtolica ſancita non ſint, ſecundùm illud Cæleſtini Papæ, ad noſtros Præſules Gallicanos de S. Doctore ſcri-

bentis aduersus aliquos etiamtum Ingenij tanti obtrectatores: *Augustinum sanctæ recordationis virum nunquam sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos etiam antè à meis decessoribus haberetur. Vnde resistatur talibus, quos malè crescere videmus.* Et postea sub finem Epistolæ. *Profundiores verò difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere.* Quæ tamen agunt de natura & necessitate diuinæ gratiæ, eodem studio replicari debent eius monumenta, eadem fide teneri, quâ subsequentium Conciliorum canones ex eius ore confertim ac fideliter excepti, quâ tot sancita Pontificum ex Hipponensi æquè ac Vaticana Cathedra loquentium. to.1.Conc. sub fin.

Quia tamen eius doctrina, in quam super hac lite inextricabili iurauit Ecclesia, speciem aliquam probabilitatis nonnullis obtendit, ex eodem fonte, quo primores inter eos animum per tot annos proluisse se dicunt, réque ipsa probant, nobis etiam quantuliscumque haurire placuit, vnde salutem beneuo-

lo lectori propinaremus. Hanc si quis excеperit, gratulamur prouentum; si quis abnuerit, non mirabimur neglectum; vtrumuis autem contigerit, sortiemur optatum. Hoc enim præcipuè cordi nobis est, vt rogati atque adeò iussi mentem sancti Patris postulantibus eius filiis peramanter insinuemus, non vt alienos contentiosè reuincamus, præsertim inuitos, & propositi semel animis infixi tenaciores. Ob eámque causam multa suppressimus, non ignari illius clausulæ, qua Præsules Gallicani terminant illustre Concilium, quod eadem aut similis promemodum controuersia iam inde ab anno plusquam millesimo conuocauit in honorem, & memoriam S. Aug. cuius auctoritas, & doctrina conceptis terminis præformauit eorum canones. *Innumerabilia sunt testimonia, quæ possint ad probandam gratiam profiteri, sed breuitatis studio prætermissa sunt; quia reuera cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt.* Quidquid autem foris exponitur, quidquid intus vltrò supprimitur, parum est ad id, quod nobis abscōditur Nam ille *de Deo parum dignè sentit, qui putat sufficere quod intelligit.*

*Concil. 2. Arausic. c. 26. to. 3. cc.*

*S. Prosper in Ps. 144.*

*F I N I S.*

*Facultas R. Patris Prouincialis.*

NOs Frater Petrus Guëau, humilis Prior Prouincialis Cælestinorum Prouinciæ Franciæ, & partium eidem vnitarum, librum cui titulus est. *Prolusio Theologica de morte Christi pro reprobis, iuxta mentem S. Augustini à dilecto nobis in Christo F. P. I. Genesti Cælestino editum.* Visa Doctorum Sorbonicorum approbatione typis mandari permittimus. Datum in monasterio nostro Beatæ Mariæ de Terris, die decima quarta mensis Nouembris anno 1646.

D. GVEAV

Prouincialis.

## *Aprobatio.*

NOs subsignati Doctores Sorbonici, librum cuius titulius est. *Prolusio Theologica de morte Christi pro reprobis, iuxta mentem S. Augustini authore P. I. Genesti Cælestinorum ad Meduntam Vicepriori*, accuratè legisse atque ex logis D. Augustini in eo contentis Christum Dominum etiam pro reprobis mortem obiisse manifeste probari testamur, Actum in musæolis nostris Sorbonicis die 17. Octobris 1646.

MESSIOR.

HENRIOT.

## *Summa Priuilegij Regis Christianissimi.*

CAutum eſt authoritate Regis ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ſuæ ditioni ſubiectis intra quinque proximos annos librum cui titulus eſt. *Prolusio Theologica de morte Christi pro reprobis, iuxta mentem S. Augustini, authore P. I. Genesti Cælestino*, abſque viduæ Nicolai Buon, Bibliopole Pariſienſis permiſſu imprimat, aut diuendat à die publicationis horum exemplarium : qui ſecus fecerit mulcta indicta prout amplius in diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Pariſiis die 20. Octobris 1646.

Sic ſignatum

COVPEAV.

Hæc prima editio fuit abſoluta 15. Ianuarij anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi ſeptimi.

INDEX CAPITVM.

# PARS PRIOR.

## Proponitur affirmatiua.

# PARS POSTERIOR.

## Soluuntur argumenta negatiuæ.

FINIS.